1.



FRANCISCI BENCII AB AQVA PENDENTE

E Societate Iesv,

QVINQVE MARTYRES

Libri Sex.

Ad Ill.mum et R.mum D.

D. Octauium Aquiuiuum Aragonium

S.R.E. Cardinalem.

VENETIIS. CIϽ IϽ XCI.
Muschius Excudebat.

OCTAVIO AQVIVIVIO ARAGONIO,

S. R. E. CARD. AMPLISS.

Benedictus Georgius S. P. D.

SVPERIORIBVS mensibus, OCTAVI Cardinalis Amplissime, Romæ cùm essem, Franciscum Bencium presbyterum Societatis IESV, summa eloquentię laude, omnisque elegantioris doctrinæ studio florentem, Antonij Quærengi, præstantis eruditionis, & iudicij viri opera factum est, vt alloqui, & audire docentem licuerit; quem etsi diligebam antea virtutis ipsius opinione excitatus, postea tamen amare vehementius, & colere cępi: cùm redissem dein

de Venetias, perlatum est ad me ipsius Poema de Quinque patribus eiusdem familiæ, qui septimo ab hinc anno, duce, & antesignano RODVLPHO fratris germano tuo, pro CHRISTI fide in India a barbaris interempti, martyrij palmam meruerunt. Quod sane Poema magna cum admiratione propter verborum elegantiam, grauitatem sententiarum, & quod caput est, religionem, ac pietatem, cùm perlegissem, gauisus sum vehementer oblata mihi occasione testandæ Georgiorum erga te, tuamque excellentissimam familiam voluntatis. A patre enim sæpe audio, quanta fuerit amoris, & officiorum mutua quasi contentio inter eum, fratremque tuum IOANNEM ANTONIVM eo tempore, quo classe Othomanica quammaxime instructa Corcyram appulsa, missus ipse a Senatu cum summa potestate, multis locis illustria ad memoriam virtutis, & fortitudinis documenta a fratre illo tuo edita perspexit. Erat præterea in oculis singularis tua, & quauis laude, ac fama superior in omni genere disciplinarum summa eruditio, admirabilis prudentia, morum integritas, & in omni vita suauitas, quod etiam GREGORIVS XIIII. paulo posteaquam Pontificatum inijsset, te Cardinale declarato, bonorum omnium lætitia diuino iudicio suo confirmauit. Hinc illa omnium mens, & oratio, fra-

trem

trem te esse Cardinalis IVLII, & RODVLPHI, e quibus ille purpura, hic sanguine Catholicam Ecclesiam cùm exornarint, tu vnus vtriusque memoriam dignitate & religione referre iucundissimam videaris. Quæ cùm ita sint, IOANNES HIERONIMVS Dux Hadrianorum pater tuus, cùm propria, tum auita gloria splendidissimus iure admodum lętari potest, a se domum stemmate regiam, eiusmodi liberis auctam, qui præstantissimas quasque virtutes cum pietate, gentili domus vestræ bono, copulantes, eum vitæ cursum tenuerunt, vt non solum generi amplissimo, sed orbi etiam Christiano decori, & ornamento esse possint. Adde CLAVDIVM patruum tuum sanctitate, atque innocentia eximium, dignumque cuius prouidentia Societas IESV religioni Christianæ promouendæ nata perquamdiu gubernetur: Adeo vt grauem, & inexpiabilem culpam suscepturus mihi videar, si heroicum hoc Opus iuris quodammodo tui, tibi inscriptum, & dicatum non emitterem. Quod eo tibi gratius fore confido, quia a Bencio profectum, quia in eo fratris tui memoria, quia a tui, tuorumque studiosissimo euulgatum. Vale.

Venetijs xv. Kal. Augusti. M. D. XCI.

SIDEREAE *foetus animae, diuina laborum*
Nobilium monumenta, meus quae culta perenni
Carmine ad Aonias exegit BENCIVS *vndas,*
Inuisis tandem latebris, & carcere duro
Libera fulgentem caeli prodite sub axem,
Perq; manus, perq; ora hominum volitate piorum.
Vos quicumque sacris Pindi vestigia siluis
Impressit, quicumque polo stellante receptas
Felices animas digno veneratur honore,
Sollicitis poscit studijs. Vos aethere ab alto
In lucem, vitaeq; vocant spirabilis auram
Magnanimi heroes, caeli noua lumina, quorum
Inclyta perpetuum producitis acta per aeuum.
Ante alios nomenq; suum, letumq; fidemq;
Egregiam condi tenebris AQVIVIVVS *opacis*
Conqueritur, segnisq; morae dispendia damnat.
Tu generis columen tanti CLAVDI *optime, cui se*
Aurea gens pulchro IGNATI *sata semine totum*
Commisit placida frenandam lege per orbem
Annue terrarum precibus, caeli annue votis
Iam facilis, Vatemq; pium laudesq; tuorum
Nilum vltra, Tanaimq; vltra sine candida curru
Gloria quadrijugo superas attollat ad arces.

RODVLPHE *caelo lux noua martyres*
Inter beatos, carmine BENCII
Europa iam te tota, & Indus
Dicat, Hyperboreisq; ab oris
Quicumque IESVM *transfreta Bosphori*
Peruasta Ponti littora, & ambitus
Telluris immensos fatetur,
Ac positis veneratur aris.
Mortale non est quod canit incitus
Furore sacro cura sodalium
Vates tuorum: laude viues
Clarus ab hac, pia dum salutis
Praecepta nostrae vestra dabit cohors,
Et ferrum & ignes negliget impios,
Mortemq; votis, & carentem
Morte petet peragetq; vitam.
Tu vocem amici, qui bibis auribus
Intaminatis, indica vtrum prius
Miremur, illius ne cantum
An ne tuos AQVAVIVA *honores?*
Et posce, terris ad tua suscitet
Exempla carmen nobile milites,
Fulgore quorum accendat ignes
Axe nouos ab vtroq; Olympus.

QVIBVS *aethram, pie* BENCI, *repetentes*
Animas carminibus, fidaq; diris
Gladiorũ ictibus, heu, pectora trãsfossa celebras?
Pietatis data gaudent sibi dona
Memori a fratre sodales, & in aeuum
Toleratos memorari numerosa fide casus.
Date quinos rubicundi mihi floris
Pueri orbes: iuuat hic adsimulare
Rutilum auro redimitis quod Olympo decus ardet.
Viridantes date lauros, vt amici
Venerandum mihi vatis caput ornem:
Stabiles ingenij nobilis & tester honores.
Celer aulam superorum volat ales
Penetratq; intima caeli, tribuiq;
Canit illic propera perpetuam pro nece vitam.
Stupet aether modulantem; stupet orbis,
Duce cantu per & enses rapiuntur,
Per & ignes animi ad gaudia, palmasq; piorum.

FRANCISCI BENCII

QVINQVE . MARTYRVM LIBER . PRIMVS

FELICES *sociorum obitus, qui littore in Indo*
Finitimam qua Goa vetus Salsethida tangit,
CHRISTVM *animis, pulchroq; olim per vulnera fuso*
Sanguine testati, laetis meruere piorum
Adscribi ordinibus, sit fas mihi munere vestro
Dicere caelicolae: Vos o memorate canenti
Quae mens, qui sensus, fuerit morientibus, & quae
Gloria tanti operis sublimes aethere tollat.
Vicerunt illi vobis spectantibus: illis
Ante oculos, interq; manus data munera vestras:
Cum DEVS *aeternum stent vt sua praemia laudi,*

Aurea victrici velauit tempora fronde,
Et dedit emeritis pretium victoribus ingens
Ferre manu aurifera decerptam ex arbore palmam.
Ad nos tam longo tractu terraeq; marisq;
Tam celebris facti vix nuntia peruenit aura:
Tamq; procul semota oculis transmittere mente
Vix datur, & causas gestarum exponere rerum.
Vos clarum in tenebris tantis praetendite lumen.
At vos, o socij, quibus almi nomen IESV
Et noua praefixit pietas, & feruidus ardor,
IGNATI *patris exemplo: quos sancta secutos*
Signa, per ignotas diuinae lumina legis
Ferre iuuat terras: longinqua per aequora vectos
Seu procul Ammerice, seu vos diuersa Sinarum
Ora tenet, quacumque plaga vos diuidit orbis
Extremus, vitae incertos, certosq; pericli:
Quae vos cumq; agitant curae, quae munera, quisquis
Vos labor exercet, fructu minuente laborem:
Si vacat, & tenuem Vatis non spernitis orsum,
Accipite haec vestras acuant quae carmina mentes,
Instillentq; acres perfuso melle liquores.
Nam simul insinuans nostrorum cognita virtus
Affectos tacita alliciet dulcedine sensus,
Perq; obitus similes caelum sperare iuuabit.
Vestra quidem nequicquam alto non spectat Olympo
Vota DEVS, *magnosq; animos cupientibus addit.*
Iam tribus exactis cum quarta accederet aestas,

RODVL-

Rodvlphvs *superum admonitu qui iusta suorum*
Corda regunt, castosq; animos, & numine complent,
E Mogoris regno ac late ditione patenti,
Ad placidos iterum portus & moenia Goae
Venerat, & magnam subita repleuerat Vrbem
Laetitia, & veterem socijs renouarat amorem.
Namque illum medio positum in discrimine leti
Barbaricos inter populos, & nescia flecti
Pectora, deflerant: olim cui nulla dabatur
Spes reditus, frustraq; abitum tentauerat omnem.
Sic illum cupide Rex intra regna tenebat,
Nec potis orando adduci, vt dimittere vellet.
Nunc tandem maiora virum ad certamina quando
Destinat Omnipotens, iustis obsistere votis
Et precibus ferus haud valuit: veniamq; coactus
Voce magis quam mente dedit: vix deinde querelis
Parcere, & ingentem potuit celare dolorem.
Scilicet ad se se, regis cunctaeq; cohortis
Attonitae pater egregius conuerterat ora,
Atque animos. Hostes iuuenem vesana frementes
Infandis in Christvm *odijs (obtendere possit*
Quis tenebras virtuti?) vt summo ex aethere lapsum
Vnum e caelitibus suprema laude ferebant:
Atque viros similes animisq; & voce petebant.
Iamq; illo veluti manifesta e morte recepto,
Exultant certatim omnes, superumq; parenti
Soluere pro reditu votum laetantur amici.

Longe alia est RODVLPHE *tibi mens optime: nam si*
Gratus erat socium amplexus, reduciq; tuorum
Gratantum vultus, tamen alte infixa cupido
Cogebat stimulis non huc conuertere motus
Solicitos animi, atque alio traducere curam.
Vsque adeo cupit effusam cum sanguine vitam,
Proferat vt CHRISTI *imperium, & fallacibus aris*
Vana superstitio, tot quae se vertit in ora,
Victa abeat, ritusq; feri, populiq; feroces
Iucundo dent colla iugo, & caligine pulsa
Aspiciant lucem aetheriam, terrasq; per omnes
ROMANVS *det iura Pater, gens impia toto*
Vellatur, toto crescat gens aurea mundo,
Et cuncti accipiant vndamq; auramq; salubrem.
Vritur his tacitus curis, hoc carpitur aestu
Iamdudum, & gratum superis expirat odorem,
Qualem turicremas fugiens fert fumus ad aras.
Quoq; magis tegit instantem, atque exire parantem,
Voluentemq; globos caecis penetralibus ignem:
Hoc ardet magis ipse (vapor, fumiq; sequaces
Exuperant) oditq; moras, feruetq; premendo,
Et penitus toto concepit pectore flammam.
Tantus amor castam pro CHRISTO *ponere vitam.*
Quin etiam interdum pondus quod pectora pressat,
Ore leuat, superosq; orans, sic voce profatur.
Iam satis hic nostris se versat in ossibus ardor,
CHRISTE *satis. Numquam ne tuam rex magne cruore*

Fas

Fas fuerit sancire fidem? Quo tanta cupido,
Quo studium hoc animis, si cessant omnia, & omnis
Amissus labor? en Mogorum decessimus oris
Incolumes, nec dum nobis ad vulnera ventum est.
In pugna stetimus, sine sanguine: magna, fatemur,
Poscimus immeriti: da tu, da posse mereri
Quod per te sperare datur. Tu muneris auctor.
Te sine nil vmquam mens aut sperabit honestum,
Aut cupiet. Tales rumpebat pectore questus,
Caelum inhians. Non ille tamen maerentia corda
Deijcit, aut humili consumit lumina fletu:
Sed magis erectum, & votis meliora petentem,
Fidentemq; DEO, *facili spes recreat aura:*
Haec magnis intentum animum non irrita pascit
Multa monens, lenitq; ignes, & temperat aestus,
Nec longum in tempus laetissima gaudia differt.
Cum super infuso subsidet sanguine flamma.
Duret, ait, cedatq; morae, rebusq; secundis
Se seruet. NIHIL *esse diu mortalibus vmquam.*
Iamq; DEVM *votis facilem fore. Talia mentem*
Permulsere prius, sed sacro in pectore cura
Viuit adhuc. ergo nemora inter Daunia qualis
Arduus & collo, & surgens in cornua ceruus,
Pectora cui venator arundine fixit acuta,
Ad vitreas accurrit aquas, fontesq; liquentes
Ebibit: hoc saeuae solatur cuspidis ictum.
Haud secus ipse virum laudes & facta priorum,

Quae felix mirata aetas intexere chartis,
Et voluit feros olim meminisse nepotes,
Perlegit, & toto veneratur pectore fortes
Extollitq; duces, triplici queis robore mentem
Muniit alta fides: quam nec regum ira, nec ignes,
Nec capiti admotum valuit diuellere ferrum.
Voluitur haec circum creber, capiturq; legendo
Terribiles dictu mortes, tormenta virorum
Horrida, quae multis pepererunt praemia palmae,
Et magnos illorum animos, & nomina versat.
Felices, ait, o animae, quae funere vitam
Testatae egregio, CHRISTI *victricia signa*
Tollere, & immensum potuistis ferre per orbem
Casibus innumeris. Vobis sed gloria cessit,
Et superum meritis sonuerunt laudibus arae.
Agnouere DEVM *terrae. Nos India dudum,*
Et pelago quaesita tenet. Frustra ne labori
Insudare iuuat? Cur, heu, non tota recepit
Aetherias leges? Quarum si deniq; fusus
Sanguis erit pretium, vincam te CHRISTE *rogando,*
Nam tu aliquid vis esse preces, nec mente grauaris:
Et tandem eliciam deuoti sanguinis imbrem.
Haec agitans secum tempusq; locumq; precandi
Exigit, & solus tectorum in parte reducta
Coniiciat quo nemo oculos, nemo applicet aures,
Submissis genibus, tendens ad sidera palmas
Spemq; metumq; inter longo post tempore fatur.

CHRI-

CHRISTE *pater rectorq; hominum, spesq; vnica nostri,*
Si lapso voluisti olim succurrere saeclo,
Et semel amissam terris reparare salutem:
Aspicis, immanes posuit quas pestibus aras
India Tartareis: quo, veri nescia, ritu
Horrificis turpes aris imponat honores,
Vt miseras non tantum animas, sed corpora mactent,
Et manibus mortem arripiant, caecoq; furore
Corpora caedentes, tenebris damnentur, & Orco.
Non pietas sociorum ingens euertere templa,
Non ritus abolere potest, legesq; nefandas.
Constitit hic primum repetens quae dixerat, & quae
Dicturus, meditans animo: dein talia reddit.
Scis genitor, scis, quanta tuis XAVERIVS *olim*
Qui primus vallum hoc, multo magnoq; labore
Rescidit, & nobis campos dedit esse patentes,
Fecerit auxilijs: quid dudum ANTONIVS *acer,*
Quid praestans animi ALPHONSVS, *par nobile & actis*
Et vita & virtute virum, quos impia saeuo
Gens dedit exitio, tua iura, & sacra ferentes.
Nec desunt opibus pariter studijsq; parati,
Quos vni iuuat assidue inuigilare labori,
Atque operi. Licet arma ferox mortemq; minetur
Impietas: tu namque animos viresq; benignus
Sufficis, & socios praesenti numine firmas.
Hic etiam paulum verbis & mente moratus;
Iamq; huc iamq; illuc curarum flectit habenas,

Multa

Multa mouens, ſortem Indorum miſeratus iniquam,
Et tandem expreſſit conceptum corde dolorem.
Heu dolor, heu, ſerpens diris vallata colubris
Pullulat, & quaſe rapido fert horrida greſſu,
Mortiferam cladem, & veſtigia foeda relinquit.
Quando erit, vt liceat diſtricto inuadere ferro;
Et monſtrum infandum tota depellere terra?
Ipſe quidem hanc quācumque animam, ne temne quod ultro
Offerimus, propiusq; preces pater aſpice noſtras,
Deuoueo, & turpi promitto occurrere peſti,
Et pro te mortem laetanti corde paciſci.
Non equidem, non ipſe illo me dignor honore,
Nec tantum eſt animi, nec tantum pectore robur:
Sed tua ſi nobis non eſt auerſa voluntas,
Hoc etiam ſperare licet, munusq; tueri.
O me, ſi qua via eſt: ſed quis me? dixit, & ore
Conticuit preſſo: tum ſecum plurima voluens,
Proſequitur: turgent procliui lumina fletu.
EDMVNDVS *potuit patrijs in ſedibus, inter*
Cognatos, ciuesq;, horrendo funere mortem
Oppetere, vt meritum ſuperis inferret honorem.
Nos medios hoſtes inter, populosq; furentes,
Et caecos odijs, grauia inter verba, tot annos
Viuimus? & fruſtra tanta eſt accenſa cupido?
Nec datur vt rerum indicijs teſtemur amorem?
Haec ille; & riguis oculorum e fontibus humor
Liquitur, & multo conſpergit flumine vultum.

Sicut

Sicut vbi exiguo ſuſpenſos obice terrae
Mollia per prata vt fluitent leni agmine riui,
Aggere ſemoto euoluis, vel tramite flexo
Perq; hortos & culta trahis, mora nulla, ſequuntur,
Et circum immittunt ſiluis frondentibus imbrem.
Non illos tamen in longum procedere fletus,
Nec feruere diu, curarum pectora fluctu
CHRISTI *paſſus amor: tacitus leuat ipſe moleſtam,*
Solaturq; moram: venturum deniq; tempus,
Non adeo longum. Dabitur RODVLPHE *quod optas,*
Et votis aderit finis, laetusq; ſecundo
Succeſſu, ignoſces dilatis rebus, vt optes
Plus etiam ſpatij pretium poſuiſſe merendo.
Longior hora licet, breuis eſt, quae talia differt.
His ſuper, impleuit magna dulcedine pectus,
Et procul emouit curas, ſoluitq; timorem.
Dein placidam oranti infudit per membra quietem.
Ecce autem illabens operit cum lumina ſomnus,
Deuinctiq; iacent ſopito in corpore ſenſus,
Mens vigilat, cernitq; adeo mirabile viſum,
Quod magis incenſum caeli inflammauit amore.
Ipſe etenim ſibi iam leuior, tellure relicta,
Neſcio qua praeter ſolitum ratione, modoq;,
Aëra per tenerum ferri, camposq; liquentes
Viſus, & in caeli ſtatui regione ſerena.
Conſtitit ancipiti mentem formidine preſſus,
Inſuetam cum lucem oculis mirantibus hauſit:

Mox tamen ad ſe ſe vt rediјt, mentemq; recepit,
Fert infra circumq; oculos: namque arduus illinc
Anguſtarum humiles terrarum deſpicit arces,
Et mare non ſpatio ingenti, fremituq; minaci,
Quale expertus erat vada praeter feruida vectus,
Cum ratibus quondam Heſperijs penetrauerat Indos:
Sed parui in ſpeciem ſtagni, tenuisq; paludis.
Hinc legit igniferos orbes, & lucida templa
Aetheris, & toto radiantia ſidera mundo,
Quae certis infixa locis, vi turbinis acri
Tellurem circum immota ſtatione feruntur.
Aſpicit haec alacris primo modo cognita viſu,
Omnia perluſtrans oculis, gaudetq; tuendo
Neſcius, & varia ſtupefactus imagine rerum.
Ante alia ardeſcit, viſusq; incurrit in ipſos,
Caeruleum albenti ſignat qui limite caelum
Circulus, & crebris totum fulgoribus ambit.
Hunc ſpectat magis atque magis, ſecumq; volutat
Maxima quae impreſſa in gyrum ſpectacula pandit.
Qualia, quae viuis hominum ſimulacra figuris,
Qui CHRISTVM *impauidi quondam cecidere profeſſi*
Artifices pinxere manus, temploq; ſacrarunt
ROMA *tuo, Caeles vbi primum inſedit Etruſcus,*
CAELIVS *e cuius deductus nomine collis:*
Pannonij hic ſedem STEPHANO *poſuiſtis & aram.*
Dumq; ea luſtranti cupide miranda videntur,
Obtutuq; haeret longum defixus in vno:

Haud

Haud procul alarum sonitus leuis impulit aures
A tergo, & visus voces audire vocantis.
Respicit, & iuuenem succinctum lumine multo
Stare videt, facie insigni, cultuq; decoro.
Aurea caesaries olli, niueusq; rubenti
Nat color in vultu, cui primi temporis aetas
Impubes nulla vestit lanugine malas:
Vndique diuino ambrosium decus enitet ore.
Candida vestis erat croceo circumdata limbo,
Et pellucenti corpus velabat amictu,
Demissa ad suras, vbi fuluum intermicat aurum,
Aurea collectam subnectit fibula pallam:
Perq; humeros, volucres gemmas diuerberat auras.
Obstupuit primo aspectu RODVLPHVS, *& ipsam*
Ceu tacturus humum supplex se abiecit. At ille:
Desine: conseruum venerari absiste precando,
Vnius imperio Domini paremus vterque:
Dixerat. & subito erectum, dextraq; prehensum,
In tumulum trahit, vnde omnis speciosa videri
Quit regio, & primum verbis lenire timorem
(Nam simul ingenti cecidit perculsa metu mens)
Incipit, & blande trepidantia pectora mulcet.
Pone omnem RODVLPHE *metum, mea maxima cura:*
Namque tibi e coetu aligerum me rector Olympi
Custodem comitemq; dedit, cum matris ab aluo
Egrediens primum visisti luminis oras.
Ipsius hic adsum imperio, quo dante per altum

Tendere iter, caeliq; potes tentare recessus:
Vt tibi magnarum pandam spectacula rerum:
Quarum vel lux, vel nouitas, oculosq; animumq;
Perculit, ignaros facti, sed imagine laetos.
Haec igitur, quo saepe adhibes cum lumine mentem,
Et tecum exquirens causas, immobilis haeres.
Cetera ceu nusquam teneant miracula caelum:
Est via, quae superum ad sedes, & gaudia ducit:
Ardua, sed pedibus multorum trita virorum,
Quos Pater aeternus merito decorauit honore.
Illa quidem, vt cernis, candenti plurima fluxit
Lacte olim, & gemmis late stellantibus haesit:
Sed tamen & nuper roseo signata cruore est,
Quisquis ad haec celeri voluit contendere cursu,
Perq; iter angustum excelsas enauit ad arces.
Quorum etiam & viuas species, & fortia facta,
Illorum simulatque animas donauit Olympo,
Hoc DEVS *esse loco voluit, ne deleat aetas*
Vlla, sed accendant alios pietatis amore.
Ipse tibi, si tanta oculos lux forte tuenti
Mortales hebetat, paucorum ex ordine signa
Virtutis referam paucis, tu nomina tecum
Nota virum, coramq; sacros reminiscere vultus.
His animum arrexit dictis AQVIVIVIVS, *& se*
Erigit, vt legere aduersos, & discere possit.
Principio quam longe oculos intendis, & ora,
Qua late vndantem dant sparsa incendia lucem,

Et

Et qua prima viam caelestis semita monstrat,
Aspice: nam DEVS *est princeps victorq; laborum.*
Scilicet hanc DEVS *aeterno cum captus amore,*
Non ille oblitusq; sui, vestraeq; salutis,
Humanam in terris speciem vultumq; recepit,
Et per saeua animam confossus vulnera fudit:
Hanc inquam DEVS *ipse viam, fiducia fortes*
Vt magis instiget, pudor vt castiget inertes,
Primus it ante volans: immani mole grauatis
Quamquam humeris crux est oneri: quem cetera pubes
Insequitur, quacumque celer vestigia signat,
Nec potis ingentes gressus aequare sequendo.
Ille quidem lapides inter, perq; aspera saxa
Ceu serpens nouus emicuit, vestemq; reliquit,
Et tulit insignem gemmis auroq; coronam.
Hic autem propior, saeuae dans colla securi
Enitet, vt nube indensa cum flamma reluxit
Vi subita, & tonitru tellus caelumq; tremiscit.
Ast illum ad terras obuerso vertice robur
Quadrifidum, extentis pedibus, palmisq; reductis
Ad caelum tulit affixum: velut incitus arcus
Per nubem excussit neruo impellente sagittam.
Proximus it parua spatij vix parte relicta,
Qui celerans iter, & socios hortatur, & ardet
Laetus abire fuga, ruptisq; emergere vinclis.
Huic caput a tenera sacrum vt ceruice recisum est,
Tunc cruor admistus lacti, tunc fontibus vnda

E tribus

E tribus emicuit salientibus excita venis.
Ille sede celsa praeceps deuoluitur arce
In medios populos, & fracto crure recumbens
Orat adhuc: sed pressa graui sub robore mala
Vtraque sanguineum dispergit in ora cerebrum.
Ille sibi spolium nudati corporis alte
Ostentans, tardo releuatus pondere, tandem
Liber abit, caeloq; libens inuectus aperto est.
Illa autem simulacra virum, non cernis in vsum
Lampadis igniferae, vincunt vt lumine noctem,
Suppeditantq; epulis flammato corpore lucem
Cum conuiuae ora infandis nidoribus explent?
Quin etiam hos praeter durus quos conficit ensis,
Cerne virum, pulchra qui maiestate decorus,
Canicie longa venerabilis, amphitheatro
In medio se se in fauces atque ora leonis
Laedere cunctantis mergit, lentumq; lacessit:
Hic tandem ferus ora aperit, dentesq; prehenso
Inijcit, ac veluti gemina sub parte molarum
Frumentum terit, vt panis formetur in vsus.
Aspicis? hic caput abscissum, tepidumq; recenti
Vulnere, & exanimes oculos, ac morte grauatos
Se se truncus agens, manibus frigentibus affert.
Quis procul ille, sua redimitus mollia lauro
Tempora, quem crates subiectis ignibus omnem
Excoquit, vt purus caeli praeteruolet astra?
Huic latebras animae pectus fera dextra recludit

Pectinibus

Pectinibus densis, curuoq; euiscerat vngui.
Nec longe hinc fulget, quem promens tela pharetris,
In tentisq; alacer neruis, arcuq; sonanti
Appetit aduersum iuuenum globus: excipit ille
Aeratamq; diu sustentat corpore siluam,
Et caelum aspectat. sunt haec solatia menti,
Dum ferri desaeuit hiems, dum detonat imber.
Vis ne etiam fissum in partes, scissumq; videre
Perq; minutatim lacerum crudeliter ossa,
Omnibus & membris atque artubus INTERCISVM?
Nec simplex mors illa, aut interrupta, sed acris
Tormine multiplici, & longi damnata doloris.
Hunc genus acre uirum sequitur, quo quisque peremptus
Supplicio, duraeq; ferens insigna mortis.
Namque per obstantes poenas, per vincla, per vncos,
Saxa per, & gladios, rapidaeq; incendia flammae,
Per mortis genus omne, viam sibi prodiga vitae
Pectora fecerunt, nullis conterrita monstris
Quae styx euomuit, nullis, quaecumque reperta
Tormenta admorunt furiata mente tyranni.
Hic variae confestim acies, glomerataq; castris
Agmina, sublatis vt procedentia signis
Longius apparent: & circum fulgure multo
Omnia collustrant: sequitur pulcherrimus ales.
Ipse tibi, quando est series longissima rerum,
Et satis est breuiter poenas mortesq; referre,
Summa sequens tantum fastigia dicere pergam:

Tu

Tu geminas conuerte acies, quocumque docentem
Conuertam digitum memoriq; ea mente reconde.
Huic oculi effossi, dentes huic ore reuulsi:
Auribus hic caruit geminis, hic pollice dextro:
Huic cecidere manus, & iniquo vulnere nares:
Hic tunsus saxo: hic specula deiectus ab alta:
Hic trabe suspensus recta, manibusq; volutus,
Implicitusq; pedes, haerentis pondere molis
Tenditur, & toto distentus corpore crescit.
Ille fame absumptus periјt, miseroq; labore
Nudatis oculis teneri munimine valli.
Hic virgarum inter crepitus cadit: ille securi
Obuius ancipiti, fulua procumbit arena.
Hunc lingua execta, succiso & poplite, trunco
Corpore, carnifices non irrisere dolentem,
Sed doluere alta ridentem mente dolores.
Per medium huic cuneus, praefixa huic cuspide contus
Et ferrata sudes abijt: illi ensis adactus
Per latus, & calido fluxerunt sanguine riui:
Huic stimuli admoti: caesis lacer vndique membris
Hic iacet: ille feris auibus data praeda, lupisq;,
Viuus adhuc torto sublimis fune pependit.
Maxima pars malis auidarum obiecta ferarum,
Quarum viua, nefas, viuo sunt condita busto,
Membra hominum. Haud desunt, argutae lamina serrae
Aspera quos medios in partes diffidit ambas.
Sunt etiam in quorum bacchatus corpora tortor

Vitales

Vitales nexus ferro rimatur obunco
Nuda per exectam diducens viscera pellem.
Sunt quibus intortum valide per terga flagellum
Horrendis cruciata modis, costasq; patentes,
Saeuus agit lictor, Sanctorum & sanguine pastus
Vix patitur spectare oculis, quae vulnera fecit.
Quid memorem admorsos colubris, tactosq; veneno?
Quid piceo extinctos fumo, tardoq; vapore?
Quid congesta per os liquefacti pondera plumbi
In ventrem, & calido distentas flumine venas?
Quid laceros artus, aequataq; vulnera membris,
Membraq; victa malo? quid presso gutture fauces
Elisas laqueo? telo quid fixa tenaci
Pectora? & exeso putres in corpore vermes?
Sed nec cuncta licet paucis percurrere: nec sunt
Omnia clara procul spectantibus: aspice summa
Ora virum, densosq; humeros: huc dirige gressum:
Victricem aspicies diuerso funere gentem.
Pars rapido submersa mari, pars stipite fixa,
Pars pice, pars oleo, liquentis & unguine cerae
Perfusa, admotis facibus, lamnisq; perusta,
Aurea cum volucri penetrauit ad astra fauilla.
CHRISTI *monstrat amor: cuius pietate per ignem*
Corpus agens, animis aeternos depulit ignes.
Pars autem capite auulso, truncoq; iacenti,
Se velox tulit ad superos: quae plurima turba est:
Et caelum gaudet terra mutasse relicta.

Quodq; magis mirere, pari vestigia figit
Femina virq; gradu, cursumq; imitata virorum
Virgineis subnixa choris volat aemula virtus.
Illa inter rapidasq; rotas falcesq; minaces,
Turbinis in morem constanti pectore virgo
Vertitur, at radij & falces in fragmina longe
Dissultant, subit illa celer caelestia templa.
Nos Patris admonitu caeli qui praesidet arci,
Corporis exuuias sublimi in monte locamus.
Illa, viden', vix vi ramis vtrinque retractis
Arboris ad terram geminae, vt coëuntia primum
Inter se capita actutum in diuersa ferantur,
Tenditur, imposita & vinclis suspenditur alte.
Hinc simul atque illinc sunt brachia forte remissa,
Atque illam ad caelum discerptam sustulit arbos.
Aspice, pro CHRISTI, *& pro virginitatis amore*
Sancta puellarum quot millia (namque monet res,
Et virgo, tanti princeps castissima coetus,
Regia progenies) saeuo sacra corpora ferro
Obijciunt, certaeq; parant occurrere morti.
Sic CHRISTI *exemplum, & vestigia magna secuti,*
Permistique viris pueri, castaeq; puellae,
Supra annos, corpusq; (animos sensusq; viriles
Namque gerunt) animas in aperta pericula mittunt.
Pro se quisque viam dum celso affectat Olympo.
Omnibus his mortisq; metum, crudiq; doloris,
Vulnera dum spernunt, & coeptis grandibus instant,

CHRISTI

CHRISTI *extinguit amor, caeliq; immensa cupido.*
Fortibus hinc in bello animis, & viribus vsi,
Inq; fugam hostiles penitus vertere cohortes.
Morte obita insignes natali in funere natos
Est matri fleuisse pudor, meminisse voluptas.
Gloria natorum, & pietas, aeuiq; futuri
Spes non vana orbam lenit solamine dulci.
Gaudet enim decoris pretio, vix vlla tulisse
Damna putans: paruoq; emptos gratatur honores
Aeternos. SED ET *ipse labor pulcherrima merces.*
Hinc illi horrentes fasces, saeuasq; secures,
Et gladiorum acies, ardentumq; ora leonum,
Quaeq; suis pascant flammarum incendia membris,
Nil metuunt. FIT *clara magis post vulnera virtus.*
Ignibus e medijs veluti magis emicat aurum.
En pietas, & casta fides, en fida piorum
Pectora: quos etiam in vita subiere labores?
Lanigeris pecorum male tecti pellibus, inter
Concaua saxorum condebant squalida membra,
Et latebras nemorum & montes siluasq; colebant,
Omnibus affecti aerumnis, rerum omnium egeni,
Afflicti, vitam in tenebris sine honore trahentes,
Digna quibus nec terra fuit, nec degener aetas.
Vinculaq;, plagasq;, & caeci carceris antrum,
Et turpes ignominias, & barbara iussa
Insuper experti, & stolidi ludibria vulgi.
Omnibus his feruet studijs, hoc semita lucet

Ordine, qua longe ad caelum per lacte natantes
Purpureum it campos agmen, niueumq; rubore
Aethera conspergens, inuitat lumine terras.
Et dubitant homines imitari haec facta, virosq;?
Nec stimulos adigit pietas? nec sensibus ignem
Implicat illustris virtutum diditus ardor?
Nec caelum incendit vires? nec gloria mentem
Spe tollit? Moniti ah tandem meliora sequantur.
Non faciles ad caelum aditus, portaeq; patentes.
Luctandum calle angusto, rectoq; petendum
Limite, qua paruum demonstrat semita limen.
Sed tamen haud retro cedendum, animisq; cadendum:
VINCIT *iter labor & constantia: praemia mentem*
Solicitant, rectiq; animis incussa voluntas.
Fit via vi. DEVS *in partem venit ipse laborum.*
Haec dicens, simul accendit, simul aspicit ipsum
RODVLPHVM, *ille autem iamdudum immota tenebat*
Lumina defixus: noua res oblata tuentem
Abstulerat, vetuitq; alio conuertere visum.
Namque videbat uti madefactum caede recenti
Staret iter: nec parua manus cruciatibus acta
Innumeris, laetam ad summi penetralia regis
Sese ageret, diriq; vna monumenta doloris,
Atque obitae ferret mortis clarissima signa.
Ecce illis aures ferro terebrantur acuto,
Perq; ignem densa eiectant caligine fumum,
Striduntq; incensae. Virgae illis terga, genasq;

Concidere truces. Tum sacra in veste sacerdos
Protrahitur, festisq; vrbem concursibus implet
Turpi impostus equo, manibus post terga reuinctis,
Ingenti clamore hominum, qui illudere capto
Certantes, rabidi in caelum conuicia iactant.
Hic abit, ex aede atque ipsis diuulsus ab aris.
Illum etiam saeuo resupinum in robore, palmasq;
Atque pedes tractum digitis nexuq; rotarum,
Membrorum vt laxis corpus compagibus omne
Diffluat, & torto soluantur pectore crates,
Cernere erat. Iacuit nudo porrectus in antro
Et capite, & tergo iuuenis, cui vincla retentant
Et vexant sublime pedes: non vlla dolorum
Nec mora, nec requies. sunt, & qui corpora tardae
Imposuere trabae, vt media raptentur in vrbe
Summum ad supplicium, verrentes vertice terram.
Nec procul infelix arbor sed morte beatos
Felici factura viros, gladijq; cruenti
Visuntur, iuxtaq; ignes: nec desit aquae uis
Flammifera, aerato, vulsas e corpore fibras
Exceptura lacu: longis hastilibus horrent
Praefixa hinc capita: & suspensi compita circum
Informes artus, & membra fluentia tabo.
Aspicit haec oculis AQVIVIVIVS: *& simul omnem*
Huc transfert curam, suspensa mente: nec audet
Compellare ducem, rerumq; exquirere causas:
Nec latuit. Prior ergo illum, quando impedit altus

Verba

Verba pudor, tacitoq; loquens reuerentia vultu,
Aliger optatis compellat uocibus vltro.
Quid tecum RODVLPHE *agitas, tacitusq; sub alto*
Corde premis, miranti animo quae cura recursat?
Fare age. nam quae res oculos ignota moratur?
Haec ait. ille autem contra vix lumina tollens
Non ausus contra praeclari signa decoris
Et diuina oculis mortalibus ora tueri,
Respicit, & subito demissa fronte profatur.
O demisse mihi caelo fidissime custos,
Quo monstrante viam haud facilem, vitamq; molestam
Ingressus, finemq; viae, vitaeq; laborum,
Et placidam posse haud verear reperire quietem.
Cetera quae libuit toto hoc spectacula tractu
Poenarum indicio, ac proprijs exponere rebus,
Omnia praecepta, & certis mihi cognita signis.
Hoc superest vnum. Quo rorat sanguine callis
Haud dudum effuso? nouus hic quis in aethere fulgor?
Quis chorus ille virum cogit laetissimus agmen?
Aliger haec contra. Quaeris tibi nota tuorum
Gaudia, & aeterna multorum laude triumphos,
Qui dulces monitus, & fortia facta secuti
Saeua per exitia, & totum vulganda per orbem,
Insigni exemplo veteres virtutibus aequant.
Haec odia, has iras, haud dudum exercet iniquis
Supplicijs, non orbe magis, quam more, beata
Dissitus Italia, & ritus genus omne perosus

Romani, Sanctorum ardet dum caede Britannus.
Tanti causa mali furiarum concita monstris
Femina, & iniuste regnandi accensa libido.
Hos autem DEVS *elegit, qui fortibus ausis*
Romani decoris causa, patriaeq; salutis,
Et mortem, & poenas grauiores morte, tulerunt.
Hos ne igitur, meus EDMVNDVS, *fortisq;* BRIANTVS,
SERVINVS*q;, ducesq; alij, duxere triumphos?*
Excipit exultans AQVIVIVIVS. *O noua priscae*
Virtutis, veniens quae olim mirabitur aetas,
Exempla. O felix pietas: o fortia fratrum
Pectora, quos CHRISTVS *tanto est dignatus honore.*
Nos animae indecores, & tantum magna volentes
Linquimur, & frustra longinquas venimus oras.
Talia dicentem, & fletus lacrimasq; cientem,
Aliger his subito solatus vocibus, infit.
Magna quidem, sed iusta cupis. Jam corde timorem
Mitte omnem, magnisq; para te magne periclis:
Namque tibi DEVS *oranti succedere votum*
Annuit, & nostro clemens haec nuntiat ore.
Non adeo multi fulgebunt ordine soles,
Cum tandem socijs aliquot comitatus Olympum
Aduenies felix, non vno vulnere victor:
Quodq; animo venerare, olim mirabere laetus,
In partem vos tanti operis, laudisq; receptos.
Ipse ego te celso sublimem in limine sistam,
Et ducam ad summi conspectum Patris, & ora.

His

His dictis calefacta nouus per viscera sensus
It iuueni, tacitumq; implerunt gaudia pectus:
Iamq; ardet tanto meritas pro munere grates
Dicere, sed trepido lingua haeret sicca palato.
Vna igitur dum multa parat, dum pectore verba
Promere molitur, mediaq; in voce resistit,
Nuntius interea liquidos discindere nimbos
Visus, & in caeli media se condere luce.
Illi autem somnum rupit, pauor: & simul vt mens
Reddita, & vt vigiles rediere in pristina sensus,
Attonitus diuina animo monumenta reuoluit,
Mox etiam duplices tollens cum lumine palmas
Laetitia ingenti, lacrimis ita fatur obortis.
Audisti tandem Omnipotens mea vota: tuorum
O numquam frustrate preces, si brachia caste
Tendantur, summoq; Patri quaerantur honores.
Non ignarus eram, nostris qui sensibus ardor
Sederat, aetheriae libatum e semine flammae,
Iamdudum: vt tandem sperata in morte residat,
Cum sanguis fluet exultans: rebarq; futurum
Hoc etiam: neque enim mentem spes addita inanis
Pasceret, aut surda orantes auerteris aure.
CHRISTE *faue, votumq; ingens feliciter exple.*
Atque haec visa volens promisso munere firma.
Adde vnum: namque hic vnus mihi denique restat,
Optatisq; locus: quaeso hoc super omnia: ne me
Tanto oneri aptare, aut pigeat formare ferendo.

Hoc

Hoc tua te exoret pietas, & Virginis almus
Matris amor virtusq; virum, victricia quorum
Bella suis distincta notis, & signa, trophaei
In speciem, nonnulla fuit mihi causa videndi.
Haec vbi dicta dedit consueta ad munera surgit,
Nec dubius moniti, nec spe laetatus inani.

FINIS.

E tribus emicuit ſalientibus excita venis.
Ille ſede celſa praeceps deuoluitur arce
In medios populos, & fracto crure recumbens
Orat adhuc: ſed preſſa graui ſub robore mala
Vtraque ſanguineum diſpergit in ora cerebrum.
Ille ſibi ſpolium nudati corporis alte
Oſtentans, tardo releuatus pondere, tandem
Liber abit, caeloq; libens inuectus aperto eſt.
Illa autem ſimulacra virum, non cernis in vſum
Lampadis igniferae, vincunt vt lumine noctem,
Suppeditantq; epulis flammato corpore lucem
Cum conuiuae ora infandis nidoribus explent?
Quin etiam hos praeter durus quos conficit enſis,
Cerne virum, pulchra qui maieſtate decorus,
Canicie longa venerabilis, amphitheatro
In medio ſe ſe in fauces atque ora leonis
Laedere cunctantis mergit, lentumq; laceſſit:
Hic tandem ferus ora aperit, dentesq; prehenſo
Inijcit, ac veluti gemina ſub parte molarum
Frumentum terit, vt panis formetur in vſus.
Aſpicis? hic caput abſciſſum, tepidumq; recenti
Vulnere, & exanimes oculos, ac morte grauatos
Se ſe truncus agens, manibus frigentibus affert.
Quis procul ille, ſua redimitus mollia lauro
Tempora, quem crates ſubiectis ignibus omnem
Excoquit, vt purus caeli praeteruolet aſtra?
Huic latebras animae pectus fera dextra recludit

Pectinibus

Pectinibus densis, curuoq; euiscerat vngui.
Nec longe hinc fulget, quem promens tela pharetris,
In tentisq; alacer neruis, arcuq; sonanti
Appetit aduersum iuuenum globus: excipit ille
Aeratamq; diu sustentat corpore siluam,
Et caelum aspectat. sunt haec solatia menti,
Dum ferri desaeuit hiems, dum detonat imber.
Vis ne etiam fissum in partes, scissumq; videre
Perq; minutatim lacerum crudeliter ossa,
Omnibus & membris atque artubus INTERCISVM?
Nec simplex mors illa, aut interrupta, sed acris
Tormine multiplici, & longi damnata doloris.
Hunc genus acre uirum sequitur, quo quisque peremptus
Supplicio, duraeq; ferens insigna mortis.
Namque perobstantes poenas, per vincla, per vncos,
Saxa per, & gladios, rapidaeq; incendia flammae,
Per mortis genus omne, viam sibi prodiga vitae
Pectora fecerunt, nullis conterrita monstris
Quae styx euomuit, nullis, quaecumque reperta
Tormenta admorunt furiata mente tyranni.
Hic variae confestim acies, glomerataq; castris
Agmina, sublatis vt procedentia signis
Longius apparent: & circum fulgure multo
Omnia collustrant: sequitur pulcherrimus ales.
Ipse tibi, quando est series longissima rerum,
Et satis est breuiter poenas mortesq; referre,
Summa sequens tantum fastigia dicere pergam:

Tu

Tu geminas conuerte acies, quocumque docentem
Conuertam digitum memoriq; ea mente recondе.
Huic oculi effossi, dentes huic ore reuulsi:
Auribus hic caruit geminis, hic pollice dextro:
Huic cecidere manus, & iniquo vulnere nares:
Hic tunsus saxo: hic specula deiectus ab alta:
Hic trabe suspensus recta, manibusq; volutus,
Implicitusq; pedes, haerentis pondere molis
Tenditur, & toto distentus corpore crescit.
Ille fame absumptus periit, miseroq; labore
Nudatis oculis teneri munimine valli.
Hic virgarum inter crepitus cadit: ille securi
Obuius ancipiti, fulua procumbit arena.
Hunc lingua execta, succiso & poplite, trunco
Corpore, carnifices non irrisere dolentem,
Sed doluere alta ridentem mente dolores.
Per medium huic cuneus, praefixa huic cuspide contus
Et ferrata sudes abiit: illi ensis adactus
Per latus, & calido fluxerunt sanguine riui:
Huic stimuli admoti: caesis lacer vndique membris
Hic iacet: ille feris auibus data praeda, lupisq;,
Viuus adhuc torto sublimis fune pependit.
Maxima pars malis auidarum obiecta ferarum,
Quarum viua, nefas, viuo sunt condita busto,
Membra hominum. Haud desunt, argutae lamina serrae
Aspera quos medios in partes diffidit ambas.
Sunt etiam in quorum bacchatus corpora tortor

Vitales

Vitales nexus ferro rimatur obunco
Nuda per exectam diducens viscera pellem.
Sunt quibus intortum valide per terga flagellum
Horrendis cruciata modis, costasq; patentes,
Saeuus agit lictor, Sanctorum & sanguine pastus
Vix patitur spectare oculis, quae vulnera fecit.
Quid memorem admorsos colubris, tactosq; veneno?
Quid piceo extinctos fumo, tardoq; vapore?
Quid congesta per os liquefacti pondera plumbi
In ventrem, & calido distentas flumine venas?
Quid laceros artus, aequataq; vulnera membris,
Membraq; victa malo? quid presso gutture fauces
Elisas laqueo? telo quid fixa tenaci
Pectora? & exeso putres in corpore vermes?
Sed nec cuncta licet paucis percurrere: nec sunt
Omnia clara procul spectantibus: aspice summa
Ora virum, densosq; humeros: huc dirige gressum:
Victricem aspicies diuerso funere gentem.
Pars rapido submersa mari, pars stipite fixa,
Pars pice, pars oleo, liquentis & unguine cerae
Perfusa, admotis facibus, lamnisq; perusta,
Aurea cum volucri penetrauit ad astra fauilla.
CHRISTI *monstrat amor: cuius pietate per ignem*
Corpus agens, animis aeternos depulit ignes.
Pars autem capite auulso, truncoq; iacenti,
Se velox tulit ad superos: quae plurima turba est:
Et caelum gaudet terra mutasse relicta.

Quodq; magis mirere, pari vestigia figit
Femina virq; gradu, cursumq; imitata virorum
Virgineis subnixa choris volat aemula virtus.
Illa inter rapidasq; rotas falcesq; minaces,
Turbinis in morem constanti pectore virgo
Vertitur, at radij & falces in fragmina longe
Dissultant, subit illa celer caelestia templa.
Nos Patris admonitu caeli qui praesidet arci,
Corporis exuuias sublimi in monte locamus.
Illa, viden', vix vi ramis vtrinque retractis
Arboris ad terram geminae, vt cöeuntia primum
Inter se capita actutum in diuersa ferantur,
Tenditur, imposita & vinclis suspenditur alte.
Hinc simul atque illinc sunt brachia forte remissa,
Atque illam ad caelum discerptam sustulit arbos.
Aspice, pro CHRISTI, *& pro virginitatis amore*
Sancta puellarum quot millia (namque monet res,
Et virgo, tanti princeps castissima coetus,
Regia progenies) saeuo sacra corpora ferro
Obijciunt, certaeq; parant occurrere morti.
Sic CHRISTI *exemplum, & vestigia magna secuti,*
Permistique viris pueri, castaeq; puellae,
Supra annos, corpusq; (animos sensusq; viriles
Namque gerunt) animas in aperta pericula mittunt.
Pro se quisque viam dum celso affectat Olympo.
Omnibus his mortisq; metum, crudiq; doloris,
Vulnera dum spernunt, & coeptis grandibus instant,

CHRISTI *extinguit amor, caeliq; immensa cupido.*
Fortibus hinc in bello animis, & viribus vsi,
Inq; fugam hostiles penitus vertere cohortes.
Morte obita insignes natali in funere natos
Est matri fleuisse pudor, meminisse voluptas.
Gloria natorum, & pietas, aeuiq; futuri
Spes non vana orbam lenit solamine dulci.
Gaudet enim decoris pretio, vix vlla tulisse
Damna putans: paruoq; emptos gratatur honores
Aeternos. SED ET *ipse labor pulcherrima merces.*
Hinc illi horrentes fasces, saeuasq; secures,
Et gladiorum acies, ardentumq; ora leonum,
Quaeq; suis pascant flammarum incendia membris,
Nil metuunt. FIT *clara magis post vulnera virtus.*
Ignibus e medijs veluti magis emicat aurum.
En pietas, & casta fides, en fida piorum
Pectora: quos etiam in vita subiere labores?
Lanigeris pecorum male tecti pellibus, inter
Concaua saxorum condebant squalida membra,
Et latebras nemorum & montes siluasq; colebant,
Omnibus affecti aerumnis, rerum omnium egeni,
Afflicti, vitam in tenebris sine honore trahentes,
Digna quibus nec terra fuit, nec degener aetas.
Vinculaq;, plagasq;, & caeci carceris antrum,
Et turpes ignominias, & barbara iussa
Insuper experti, & stolidi ludibria vulgi.
Omnibus his feruet studijs, hoc semita lucet

Ordine, qua longe ad caelum per lacte natantes
Purpureum it campos agmen, niueumq; rubore
Aethera conspergens, inuitat lumine terras.
Et dubitant homines imitari haec facta, virosq;?
Nec stimulos adigit pietas? nec sensibus ignem
Implicat illustris virtutum diditus ardor?
Nec caelum incendit vires? nec gloria mentem
Spe tollit? Moniti ah tandem meliora sequantur.
Non faciles ad caelum aditus, portaeq; patentes.
Luctandum calle angusto, rectoq; petendum
Limite, qua paruum demonstrat semita limen.
Sed tamen haud retro cedendum, animisq; cadendum:
VINCIT *iter labor & constantia: praemia mentem*
Solicitant, rectiq; animis incussa voluntas.
Fit via vi. DEVS *in partem venit ipse laborum.*
Haec dicens, simul accendit, simul aspicit ipsum
RODVLPHVM, *ille autem iamdudum immota tenebat*
Lumina defixus: noua res oblata tuentem
Abstulerat, vetuitq; alio conuertere visum.
Namque videbat vti madefactum caede recenti
Staret iter: nec parua manus cruciatibus acta
Innumeris, laetam ad summi penetralia regis
Se se ageret, diriq; vna monumenta doloris,
Atque obitae ferret mortis clarissima signa.
Ecce illis aures ferro terebrantur acuto,
Perq; ignem densa eiectant caligine fumum,
Striduntq; incensae. Virgae illis terga, genasq;
Concidere

Concidere truces. Tum sacra in veste sacerdos
Protrahitur, festisq; vrbem concursibus implet
Turpi impostus equo, manibus post terga reuinctis,
Ingenti clamore hominum, qui illudere capto
Certantes, rabidi in caelum conuicia iactant.
Hic abit, ex aede atque ipsis diuulsus ab aris.
Illum etiam saeuo resupinum in robore, palmasq;
Atque pedes tractum digitis nexuq; rotarum,
Membrorum vt laxis corpus compagibus omne
Diffluat, & torto soluantur pectore crates,
Cernere erat. Iacuit nudo porrectus in antro
Et capite, & tergo iuuenis, cui vincla retentant
Et vexant sublime pedes: non vlla dolorum
Nec mora, nec requies. sunt, & qui corpora tardae
Imposuere trabae, vt media raptentur in vrbe
Summum ad supplicium, verrentes vertice terram.
Nec procul infelix arbor sed morte beatos
Felici factura viros, gladijq; cruenti
Visuntur, iuxtaq; ignes: nec desit aquae uis
Flammifera, aerato, vulsas e corpore fibras
Exceptura lacu: longis hastilibus horrent
Praefixa hinc capita: & suspensi compita circum
Informes artus, & membra fluentia tabo.
Aspicit haec oculis AQVIVIVIVS: & simul omnem
Huc transfert curam, suspensa mente: nec audet
Compellare ducem, rerumq; exquirere causas:
Nec latuit. Prior ergo illum, quando impedit altus
Verba

Verba pudor, tacitoq; loquens reuerentia vultu,
Aliger optatis compellat uocibus vltro.
Quid tecum RODVLPHE *agitas, tacitusq; sub alto*
Corde premis, miranti animo quae cura recursat?
Fare age. nam quae res oculos ignota moratur?
Haec ait. ille autem contra vix lumina tollens
Non ausus contra praeclari signa decoris
Et diuina oculis mortalibus ora tueri,
Respicit, & subito demissa fronte profatur.
O demisse mihi caelo fidissime custos,
Quo monstrante viam haud facilem, vitamq; molestam
Ingressus, finemq; viae, vitaeq; laborum,
Et placidam posse haud verear reperire quietem.
Cetera quae libuit toto hoc spectacula tractu
Poenarum indicio, ac proprijs exponere rebus,
Omnia praecepta, & certis mihi cognita signis.
Hoc superest vnum. Quo rorat sanguine callis
Haud dudum effuso? nouus hic quis in aethere fulgor?
Quis chorus ille virum cogit laetissimus agmen?
Aliger haec contra. Quaeris tibi nota tuorum
Gaudia, & aeterna multorum laude triumphos,
Qui dulces monitus, & fortia facta secuti
Saeua per exitia, & totum vulganda per orbem,
Insigni exemplo veteres virtutibus aequant.
Haec odia, has iras, haud dudum exercet iniquis
Supplicijs, non orbe magis, quam more, beata
Dissitus Italia, & ritus genus omne perosus

Romani,

Romani, Sanctorum ardet dum caede Britannus.
Tanti causa mali furiarum concita monstris
Femina, & iniuste regnandi accensa libido.
Hos autem DEVS *elegit, qui fortibus ausis*
Romani decoris causa, patriaeq; salutis,
Et mortem, & poenas grauiores morte, tulerunt.
Hos ne igitur, meus EDMVNDVS, *fortisq;* BRIANTVS,
SERVINVS*q;, ducesq; alij, duxere triumphos?*
Excipit exultans AQVIVIVIVS. *O noua priscae*
Virtutis, veniens quae olim mirabitur aetas,
Exempla. O felix pietas: o fortia fratrum
Pectora, quos CHRISTVS *tanto est dignatus honore.*
Nos animae indecores, & tantum magna volentes
Linquimur, & frustra longinquas venimus oras.
Talia dicentem, & fletus lacrimasq; cientem,
Aliger his subito solatus vocibus, infit.
Magna quidem, sed iusta cupis. Jam corde timorem
Mitte omnem, magnisq; para te magne periclis:
Namque tibi DEVS *oranti succedere votum*
Annuit, & nostro clemens haec nuntiat ore.
Non adeò multi fulgebunt ordine soles,
Cum tandem socijs aliquot comitatus Olympum
Aduenies felix, non vno vulnere victor:
Quodq; animo venerare, olim mirabere laetus,
In partem vos tanti operis, laudisq; receptos.
Ipse ego te celso sublimem in limine sistam,
Et ducam ad summi conspectum Patris, & ora.

His

His dictis calefacta nouus per viscera sensus
It iuueni, tacitumq; implerunt gaudia pectus:
Iamq; ardet tanto meritas pro munere grates
Dicere, sed trepido lingua haeret sicca palato.
Vna igitur dum multa parat, dum pectore verba
Promere molitur, mediaq; in voce resistit,
Nuntius interea liquidos discindere nimbos
Visus, & in caeli media se condere luce.
Illi autem somnum rupit, pauor: & simul vt mens
Reddita, & vt vigiles rediere in pristina sensus,
Attonitus diuina animo monumenta reuoluit,
Mox etiam duplices tollens cum lumine palmas
Laetitia ingenti, lacrimis ita fatur obortis.
Audisti tandem Omnipotens mea vota: tuorum
O numquam frustrate preces, si brachia caste
Tendantur, summoq; Patri quaerantur honores.
Non ignarus eram, nostris qui sensibus ardor
Sederat, aetheriae libatum e semine flammae,
Iamdudum: vt tandem sperata in morte residat,
Cum sanguis fluet exultans: rebarq; futurum
Hoc etiam: neque enim mentem spes addita inanis
Pasceret, aut surda orantes auerteris aure.
CHRISTE *faue, votumq; ingens feliciter exple.*
Atque haec visa volens promisso munere firma.
Adde vnum: namque hic vnus mihi denique restat,
Optatisq; locus: quaeso hoc super omnia: ne me
Tanto oneri aptare, aut pigeat formare ferendo.

Hoc

Hoc tua te exoret pietas, & Virginis almus
Matris amor virtusq; virum, victricia quorum
Bella ſuis diſtincta notis, & ſigna, trophaei
In ſpeciem, nonnulla fuit mihi cauſa videndi.
Haec vbi dicta dedit conſueta ad munera ſurgit,
Nec dubius moniti, nec ſpe laetatus inani.

FINIS.



FRANCISCI BENCII

QVINQVE . MARTYRVM
LIBER . SECVNDVS

NEc *minus interea curis vrgetur, & omni*
Intentus vigilat studio, quo tempore primum
Expectata dies aderit, ne sera moretur
Segnities, sed carpat iter, parere paratus,
Quod primum aeterni monstrabunt iussa Parentis.
Hoc agit assidue. Et quamquam timor omnis, & omnis
Maeror abest, mulcentq; pio solamine mentem
Quae puer aetherius volucres mandata per auras
Rettulerat, non cura tamen de pectore cessit
Pulsa omnis, stetit illa prior, sed visa priori
Altera, nec leuior, succedere. Tempore ab illo

C

Se magis

Se magis atque magis, certa ratione, quod instat
Accingit prudens operi, ne forte laborum
Improuisa animum facies inopina ve turbet.
Haud aliter miles saeuis eductus in armis,
Frigoribus medijs, & tempestate sequestra,
Cum pacem componit hiems, cum bella quiescunt,
Nec tuba committit dubiae certamina pugnae,
Ardet in arma furens, viresq; exercet, & hostem
Praecipit, & se se fingens ad proelia, tentat.
Haec manet: haec animo dudum cura omnibus vna
Insidet eiectis: non illum splendida rerum
Praemia, non tangunt luxus, non lubrica regna,
Non tellus quod monstrat opum, quod iactat honorum:
Quos leuis e nebula genuit cum ventus inani
Plausus hians circum, ventosaq; gloria pascit.
Quin secura quies, & mens sibi conscia recti
Nil metuit, memoriq; animo non vlla resedit
(Qualia multa homines fragili patiuntur in aeuo)
Culpa grauis: namque ipse olim simul audijt omnem
Oratus veniam, dextraq; & voce sacerdos
Rite dedit, nexusq; libens, & vincula soluit.
Nec tamen abstinuit lacrimis, luctuq; pepercit
RODVLPHVS, *seq; ipse vltro incusauit, & vltro*
Corpore supplicia expendit, veterumq; bonorum
Oblitus (contemnit enim, calcatq; premendo)
Non tantum cumulare nouis, sed vincere certat.
Non secus ac spatio cursor campoq; supremo,

Cum propior meta est, magno certamine tendit
Certus iter, pedibusq; locum superare priorem
Nititur, & totas depromit pectore vires.
Ilicet: & cursu nunc hos, nunc praeterit illos,
Nec victos numerat, sed praecurrentibus instat.
Ergo ardens animis se se ipse hortatur, & omne
Virtutum specimen factis ingentibus aequans,
Nil veluti gessisset adhuc, rebusq; gerendis
Effugeret tempus, sudat magis, omniaq; arma
Aduocat, & iam nunc caelestum aucturus honorem,
Caelestum ad morem studio se format, & vsu.
Nec mirum: defixi haerent in pectore vultus,
Plurimaq; & mortis, magnae & pietatis imago
Magnanimum heroum, CHRISTVM *qui propter acerbo*
Iudicio oppressi quondam, qui plurima passi
Vulnera, temnentes animam, vitamq; perosi
Cum viuis licuit caelum sperare merendo,
Seruauere animam, laeta & per saecula vitam
Emere aeternam. Quid non mortalia sancte
Pectora cogis amor, sanctiq; afflator amoris
SPIRITVS, *vt mentem monitis maioribus vrges*
Terras despicere, & votis praesumere caelum?
Jamq; dies non longe aberat, quam numinis alti
Nuncius est certo monitu praedicere visus:
Et diuina suum poscunt oracula finem.
Nam DEVS *e solio stellis radiantibus apto*
Qui mare, qui terras, caeliq; decemplicis orbes

Aeternis

Aeternis mouet imperijs, dextraq; potenti
Rectores hominum regit arduus, & premit ipsa
Corda agitans, laxasq; volens immittit habenas,
Affuit, & coeptis impleuit vota secundis.
Tempore namque illo, socios Europa per Indum
Quos longe dimisit agrum, vt mansuescat arando
Terra olim infelix, & iacto semine surgat
In segetem, grauiorq; aeuo, & pietate regebat
Lysiadum e populo VINCENTIVS: *hoc* DEVS *vti,*
Si quid erat, socios humana voce moneri
Quod cuperet, solitus velut altae interprete mentis.
Ipse igitur, quoniam rector sic admonet orbis
Vt promissa viam inueniant, quae pectore verset
Consilia ignarus, sacris iam rite peractis,
RODVLPHVM *pariter, pariterq; accedere iussit*
ALPHONSVM, *illustri genitum de sanguine Iberum,*
PACECCVM ALPHONSVM, *quo non felicior alter*
Indorum mollire animos, & flectere dictis.
Conueniunt gemini, geminus queis mentibus ardor,
Queis amor vnus erat, dubijs quos poscere rebus
Consilium prudens VINCENTIVS. *Hic vbi primum*
Et caput, & pectus, diuersaq; brachia signo
Muniuere CRVCIS, VINCENTIVS *incipit ipse.*
O socij: neque enim vobis incognita nostra
Mens vmquam, nostro ve latent sub pectore sensus:
Et merito: nostrae quoniam pars maxima curae
In vestros translata sinus secura quiescit.

Accipite,

Accipite, huic animo (si veris pectora numen
Exoratum implet, nec abest fiducia rebus)
Aspirante DEO, *quaenam sententia constet,*
Et nostris placide monitis aduertite mentem.
Jam tandem est aliquid nostrum impendisse laborem
His terris: nec friget opus: sit gratia rerum
Cunctarum auctori, nullas qui luminis oras
Deserit expertes, sed caeli e vertice fulgens
Lux mundi, aeternae fons idem lucis, & orbem
Irrigat, & sanctum per terras diuidit ignem.
Nam quamquam Mogorum ad fines, Gangeticaq; arua.
Vt memoras, RODVLPHE *tibi labor irritus omnis*
Effudi dudum, & rapidis tot visa profundi
Verba Notis: tamen, & socijs, quos aequor Eoum
In uarias partes, diuerso & nomine terras,
Distractos rapuit, patuere ingentia nuper
Ostia, qua primum diuinae pignora legis
Admitti, & sanctae potuere exordia vitae.
Mitto ea, quae quondam CHRISTO *duce facta feruntur*
Cottiara in magna, & vasta regione Maluci,
Taprobanae, & Solore, & Tanaae, portuq; Sinarum,
Caulaniq; agris, & littore Bazaini:
Qua sese vel Gangem extra, vel condidit intra,
Et certo innumeras distinxit limite terras,
India, quae patrios certans dediscere ritus
Sacrorum, legesq; nouas addiscit, & artes.
Nunc etiam, laetamur enim, gratesq; Parenti.

Diximus

Diximus aetherio, disiuncta ab Iaponis ora,
Cuius in Europam (fama est) hoc denique saeclo
Nomen ijt, vera tandem iam lege recepta,
Diuinisq; sacris, magnorum nomine regum
Ipsi etiam illustri regum de sanguine creti
MANTIVS & MICHAEL *sacram mittuntur ad vrbem:*
Par iuuenum egregium: totidem comitantibus vltro.
Quos socios aetate illis, studijsq; propinquos,
Proxima nobilitas concordi foedere iunxit.
Illi ad Pontificem summum, sanctumq; Senatum
Legati, agnoscent iustis qui legibus orbem
Temperat, & caeli dispensat munera terris:
Oblataq; fide, magni mandata Parentis
Accipient, quaerentq; suis oracula rebus,
Optatisq; diu defigent oscula plantis.
Haec inter, nimia mentem dulcedine captus
Non tenet ALPHONSVS *vocem, sed talibus infit.*
O quanto excipiet venientes laetus honore,
Qui super Oceanum, imperium, super aethera famam
Protulit, insignis regno, & pietate PHILIPPVS:
Quam festo populi plausu fremituq; secundo,
Nobilibus speciosa in equis Hispana iuuentus?
Immo illos quanto accipiet pia ROMA *paratu,*
Et pulchrae Italiae proceres, quanta, oppida & Vrbes,
Laetitia, RODVLPHVS *ait: quam debita patres*
Purpureos, patrumq; decus, columenq; piorum
GREGORIVM, *celebri in consessu gaudia tangent,*

Cum

Cum sacra vix notas admittet ad oscula gentes,
Seram progeniem, natam melioribus annis,
Vt cupiet tali in conspectu claudere vitam,
Longaeui repetens Simeonis nobile carmen?
His dictis, sequitur VINCENTIVS. *Ergo age quando*
Tam faciles rerum euentus, numenq; propinquum
Dant animos, placidusq; rates vocat Auster in altum,
Quod superest, tentemus adhuc, flatuq; secundo
Plena peregrinum mittamus vela per aequor.
Ipse aderit, cursumq; reget, qui saepe vocatus
Accelerare iubet, validisq; insurgere remis.
Cetera cum dabitur. Iam, quod nunc instat, agamus.
Haud procul hinc colitur non longo margine terra,
Quam geminae claudunt angusto littore fauces,
Et modico dirimunt spatio: nam proximus vrget
Idalcanus atrox, qui dudum hanc regibus, oram,
Lysiadum, firmans hoc pacem pignore, cessit.
Terra breuis, sed enim pagos fecunda frequentes
Extulit, & plenis habitata mapalia villis,
Salsethim illarum e numero dixere priores.
Ipsa autem quamquam deserta atque horrida quondam
Squalebat regio, duris possessa colonis,
Paulatim tamen humano mollescere cultu
Coepit, & ingenium ciues fregere superbum.
Haud equidem ignoro vobis haec cognita, quorum
Tu quoque (nam memini) pars magna ALPHONSE *fuisti:*
Sed non omnis adhuc admoto cessit aratro,

Aut

Aut iactata sinu suscepit semina terra,
Et sentes, grauidas inter nascuntur aristas:
Has socij superum auxilio defendere, at illas,
Ne tenerae officiant segeti, conuellere pergunt.
His ego te (tua namque mihi pietasq; fidesq;
Et rerum spectata vsu prudentia maior)
Praeficio RODVLPHE *pater. Tu coepta tuorum*
Praeceptis, precibusq; iuua: grandescere fetus
Vt valeant, fructusq; feros mollita colendo
Abijciat tellus, commissaq; semina sulcis
Accipiat, quae post magno cum fenore reddat.
Sic Pater Omnipotens, sic nostri nominis auctor,
Adiutorq; operis faciat, coeptumq; secundet.
Dixerat. Hic oculos prudens demittit, & ora,
Et varios dubio persentit pectore motus,
Nec potis est vllam RODVLPHVS *mittere vocem.*
Mens patet in vultu, cuius sensa abdita fidi
Vt legerent oculi, quemquam nec fallere possent,
Iam rubor in tacito depinxerat ore pudorem.
Nempe oneri imposito succedere, rursus & ipsum
Detrectare timet: vires hinc ferre recusant:
Hinc scelus esse putat diuinae obsistere menti,
Quam pater effatur. Non huc se protinus, aut huc
Dat totum, at paribus momentis inter vtrumque
Se medium tenet: ancipitem VINCENTIVS *illum*
Protinus agnoscit, placide sic deinde locutus.
Quid dubitas? rapiuntq; animum in contraria sensus?

Fide DEO: DEVS *ipse iubet: tu accingere iussis.*
Quin ego, namque illa, vt vereor, te cura remordet,
Et metuis, ne imposta, humeros grauitate fatiget,
Et premat, atque vnum cogat succumbere moles:
Hunc tibi, non animi, aut magnae virtutis egentem,
Quem penes & rerum fuerit tibi certa tuarum
Verborumq; fides dubijs spectanda periclis,
ALPHONSVM *adiungo. Tu casus vtere in omnes.*
Ite alacres. RODVLPHE *ducis tu suscipe munus.*
Sed magni tu in partem oneris concede, tuisq;
Consilijs ALPHONSE *leua, & partire laborem,*
Atque opere in tanto fratrem complectere frater,
Quem vos cumque olim ad finem pia coepta vocabunt.
Spero equidem, medium vobis se se offeret ille,
Cuius honos numenq; vno vos nomine iunxit:
Et fore dixit enim, nec spe deluserit vmquam.
Haec ait, & valido firmauit robore mentem,
Et simul amborum dextras vtrinque prehendit,
Coniunxitq; acres animos, & fida duorum
Pectora: nec lacrimis caruerunt ora profusis:
Haud certum satis, an dulci pietatis amore,
Excitae, an necis indicio, cladisque futurae.
Tum vero vt primum fletus stetit, & noua surgunt
Gaudia, RODVLPHVS, *non pugno, aut deprecor, inquit,*
Ista pater: quamquam ista humilem satis ardua terrent
Iussa, nec infirmae possunt ad fortia vires.
Quippe tui cum sensa animi, cum verba loquentis

Accipio, mentemq; DEI, vocemq; recordor:
Non parere, nefas. ergo & praecepta facessam,
Succedamq; oneri: patiar tentare laborem,
Quem facile vt perferre queam, sperare iubetis,
Tu monitor, socius fortissimus, & DEVS auctor.
Jungam alios etiam socios, VINCENTIVS addit,
Expertos terrae ac gentis, rerumq; ministros,
Quaelibet ausuros olim tentare pericla.
Audistis quot dudum ingens virtute, pijsq;
Ardescens odijs, & iusta concitus ira,
Impia templa deum, turpesq; euerterit aras
Ignibus iniectis BERNVS (iam iusserat ipsum
Acciri BERNVM) hunc vobis optate volentes,
Nec spero indecorem. Ne tu comes ire recusa
BERNE, volet quascumq; pater te adducere terras
RODVLPHVS: tentanda licet foret ardua mortis
Alea, & effuso migrandum sanguine vita.
Perge libens: pulchrisq; DEI quae nomine dantur
Consilijs pare, Numquam te candida fallet
Parentem pietas: narrabis proelia victor.
Jlle sub haec alacris. Tibi iam spectata voluntas
Nostra, reor: quaecumq; tuae sententia menti
Certa sedet, sedet & nostrae: stat velle, quod optas:
Nunc, olim, quaecumque mihi mandata dabuntur,
Sit modo par animo praesens in corpore virtus,
Hauriam, & immemorem (diuino numine fretus
Spondeo) me nemo suscepti muneris vmquam

 Arguet,

Arguet, aut vitae cupidum, mortisq; timentem:
Non vani decoris studio, non laudis amore,
Sed parere tibi mens est. sic fatur, & ipsum
RODVLPHVM *venerans dextra petit: & simul omnes*
Complet laetitia, vt iuuenem videre paratum
Ire viam, & vero testantem gaudia vultu.
At tibi, ne ignores, quam tu non rere propinquam,
Ignotam sed BERNE *paras inuadere terram,*
Vicinam, notamq; adeo, quae plura tuorum
Indicijs impressa pedum vestigia seruat,
Salsethim edico, RODVLPHVS *dixit: An illuc*
Ibitur, exclamat laetanti pectore, BERNVS,
Nos vbi (pro miseri, quis tantus mentibus error?)
Mutorum delubra palam, simulacraq; diuum
Fregimus, & fumo inuisas inuoluimus aras,
Et circum iniecto late populauimus igni?
Quin etiam, immanem candenti corpore vaccam,
Cui (scelus) effusis precibus, sacrisq; litabant,
Strauimus, & caeso vellentes viscera ventre,
In labrum solido positum de marmore, templi
Pro foribus, quo se facturi sacra lauabant,
Mersimus, & sanie fontes turbauimus atra.
Nec quicquam miserae, turpi cum funere foedat
Ora deum, cum maesta suas mactatur ad aras,
Profuit, assuetam multorum in vota vocari
Cultores damnasse suos, templumq; vetustum,
Atque aram ornatam pictis habuisse tabellis.

Concidit

Concidit haec, calidum expirans de pectore flumen,
Ipse autem hanc tali sacraui sanguine dextram.
Leniter hic risere Patres, & libera verba
Murmure, & assensu laeto vultuq; probarunt.
Ille autem exultans animis, non immemor acti,
(Sic DEVS, *& iustus mentem furor incitat, atque*
Ingentes agitat motus) aperitq; futura
Inscius, & stimulos vltro currentibus addit.
O mihi si indignum sceleratis detur honorem
Tollere imaginibus, cultusq; abolere nefandos:
Ipse licet pretium sanguis foret: haud mihi tanti
Sanguis erit: stabunt, mihi credite, praemia paruo
Magna patres. CHRISTO *numquam reddentur honores,*
Monstra quibus gaudent multos impune per annos,
Quae Pater omnipotens, Stygias detrusit ad vmbras?
Non ego iam tantis in rebus ponere vitam
Vulneribus dubitem crebris, & funere saeuo,
Foeda deum dum sacra ruant. Hoc vincite patres,
Hoc prohibete nefas. Numquam se tota dicabit
Salsethis propriam CHRISTO, *positaq; nitebit*
Illuuie, numquam maturis frugibus aestas
Adueniet, nostro madeant ni sanguine campi.
Vsque adeo, agricolae nullum laeto vbere semen
Terra fouens trudit, frumentiq; elicit herbam,
Ni prius abiectum penitus gremioq; sepultum
Excipit, & clausum tenebris putrescere cogit.
Exoritur moriens, & casu tollit ab ipso

Far

Far animos, longoq; ſolet pubeſcere leto.
O ſocij, CHRISTO *magnum eſt addicere vitam:*
Sed CHRISTI *ſimilem pulchrum eſt accerſere mortem:*
MORTE *alijs quaerenda ſalus. Haec fatur: & ignis*
Ex oculis, totoq; ardor abſiſtit ab ore
RODVLPHVM *incendens, memori qui pectore verſat*
Quae dudum in ſomnis audire & cernere viſus.
Hinc ſtupet ad BERNI *monitus, ſenſusq; loquentis*
Excipit, & premit: attonitus, quo pondere numen
Vergat enim, tacet, & tacitus ventura reuoluit.
Ipſe etiam obſtupuit VINCENTIVS, *omnia ſecum*
Haec repetens animo, verbisq; haec inſuper addit.
Macte pia virtute Pater. DEVS *approbet omen*
Conſiliumq; tuum, & coeptis ingentibus adſit:
Vt fera relligio, quae duro vt robore quercus
Inſanum tulerat caelo caput, & procul omnes
Inuoluens campos horrenti obtexerat vmbra,
Abſtuleratq; diem, ſed nunc & vertice nutat
Aërio, & cladem metuit, caſumq; minatur,
Et tremefacta labat, iam tandem concita veſtro
Concidat impulſu, & ſummam det lapſa ruinam,
Ac volucres euulſa Notis verratur in auras:
Puluis vt ingenti rapuit quem turbine caelum.
Nunc adeo, Socij quoniam iam tempus agi res,
Ne quemquam impediat ſegnis mora, iuſſa parate.
Ipſe duos (duo nam deſunt, ſi hoc quaeritis vnum,
Explendum ad numerum, quem mecum mente peregi,

Quo

Quo gaudet DEVS *ipse etiam, quem saepe sacrauit)*
Praeterea inueniam nostro de corpore lectos:
FRANCISCOS *ambos, aetate & moribus ambos*
Praestantes, celeres ambos ad signa monentum,
Vt similes animis, sic nomine: quos tamen inter
Nominis haud nullum discrimen: maius in ipsis
Muneribus, gradibusq; sacris. ANTONIVS *alter*
Dicitur, alterius cognomen ARANEA *genti:*
At prior ille, aris meritos imponit honores
Dona ferens: parat ille aras, & dona ministrat.
Vos quinque, exigui numero, sed viribus vsi
Illius, atque opibus fidentes, quo duce quondam,
Vnus, mille virum, victor, duo, millia dena
Praecipiti conuersa fuga videre ruentum,
Ibitis, vt solem terris lux crastina reddet:
Protinus aduentu vestro, & virtute, piorum
Aucturi numerum, & decus immortale parentis:
Ipse comes non vsquam abierit, coeptosq; labores
Respiciet Pater omnipotens; opibusq; iuuabit.
Dixerat. hic vno surgentes tempore cuncti,
Sedibus vnanimes petierunt templa relictis.
Iusso mox operi instabant, abitumq; parabant.
Ast ea dum socij: forti dum pectore magnis
Consilium de rebus habent, auditq; videtq;,
Nescius humanis medium qui se inserit actis,
Vt rerum auertat laetarum exordia Phorbus,
Praedator Phorbus, nigrantum ex agmine fratrum,

Quos

Quos olim aggressos caelo conuertere tela
In magnum scelerata DEVM *furialibus ausis,*
Dux bonus aligerum, quibus & sententia menti
Visq; animo melior, densis circumdatus alis
Ingenti clamore fugam celerare coëgit,
Tabificum genus, & toto detrusit Olympo.
Illa erat horrifica Phorbus de gente, superbus
Indorum exitio, veri quos numinis olim
Ignaros, similesq; vagis, pastore relicto,
Extra septa ouibus, nemora inter deuia traxit.
Pectoribus miserorum inhians, & mentibus haerens.
Nunc tamen obscuro eductam de carcere praedam,
Et tuti gregis ad caulas laeto agmine versam
Et videt, & simul inuidia tabescit, & ira:
Praeteritiq; memor frendit, metuitq; futura.
Quin etiam furtum vt seruet, praedam ve receptet
Faucibus extortam, insidias explorat, & idem
Instruit, atque omnes aditus, omnemq; pererrat
Circuitum, Indorum leuitas si forte virum quem
Impulit, vt demens referat vestigia retro,
Atque illum ad mortem prono rapit improbus Orco.
Ac veluti rabies postquam vesana leonem
Exigit, ille truci fremitu fera pectora rumpit,
Et gregibus violentus obambulat, omnia visu
Saeuo obiens, quaerit quem deuoret. Hic vbi fortes
Conuenisse viros conspexit, & auribus hausit
Colloquium, sibi cum dura fore proelia gente

Augurat,

Augurat, iniuſtoq; timet ne protinus omni
Excidat imperio, nec ſit ſpes vlla regreſſus.
Ac primum triſti confectus vulnere mentis
Conſtitit exanimis: rabida tum concitus ira,
Saucius vt quadrupes huc lumina torſit, & illuc
Turbida, & horribili ſpumas agit ore cruentas:
Et miſtam eructans taetro cum ſulphure flammam,
Tartaream intendit vocem, & ſic ore profatur.
Heu genus inuiſum, & coeptis contraria noſtris
Conſilia, atroces animos, & neſcia vinci
Corda hominum, quos longinquae terraeq; mariſq;
Tot ſpatia emenſos, duris tot caſibus actos,
Non auri communis amor, non laeta voluptas,
Non blanda ambitio, nec honorum pulchra cupido,
Sed noſtri perculſa odijs, ſtimuliſq; malignis,
Ira vetus, longe male fida ad littora vexit:
Nos procul vt regno excuſſos, caeloq; fugatos,
His etiam exturbent terris, ac littore pellant,
Dum leges alias aduerſaq; nomina nobis
Inſerere, atque homines cupiunt intrudere coelo.
Nec mihi, nec ſocijs, eadem quos ſubdita cordi
Flamma coquit, maria & terras verſaſſe, viroſq;
Huius in exitium gentis vertiſſe, tot vndis
Hauſiſſe, & ſcopulis, ſaeua tot caede peremptos
Demiſiſſe neci, & ſtygias exciſſe cateruas
Profuit: in caſſum tanti cecidere labores:
Namque aucti ſemper numero, & virtute priores,

Finiri non morte queunt, mergi ve profundo,
Nec victi dextras tendunt, sed proelia contra.
Pro dolor: in templis olim stellantibus ortos,
Luce noua, dignosq; DEI queis cederet aula,
Terrea progenies, limoq; educta, lutoq;,
In terram reditura suam, contemnit, & audent
Mentibus aeternis morituri obsistere talpae?
Forsitan & sperant longo certamine palmam.
Tendimus insidias, eludunt: fallimus, artem
Agnoscunt: manibus comprendimus, elabuntur:
Sternimus, exurgunt: oneramus pondere, laeti
Exiliunt: terra obruimus, ceu semina crescunt.
Quod genus hoc hominum? quibus exercetur in armis?
Scilicet arte artem superat, vim viribus exit.
Nos autem. & posthaec conantem dicere plura,
Flumen uti angusto tumefactum gurgite fauces
Obstruit, ira vetat: turbata mente resistit,
Plus vultu, quam voce loquens: rabiesq; furorq;
Eminet ex oculis succensis sanguine & igni,
Et maculis faciem aspergit: tum crinibus angues
Implexos irritat adhuc virusq; lacessit,
Intorquens manibus: dehinc saeuis faucibus atrum
Os aperit, nigri suffectum felle veneni,
Et tandem his fudit collectas vocibus iras.
An ne etiam in gemitus, & femineos vlulatus
Ibitur? an vis illa infelix occidit omnis,
Quae superos est ausa suo depellere regno?

Fecissetq;

Fecissetq; morae quicquam si accederet ausis:
Occidit? an casu quondam imperterrita nostro,
Huc flexit, se praecipiti inclinante ruina.
Et credent homines primaeuos esse parentes
Sedibus e placidis olim, laetisq; viretis,
Artibus exactos nostris? Nos pellimur ipsi
Degeneres, tantumq; minas iactamus inulti?
Cetera quid memorem? satis est meminisse: profundum
Vulnus hiat, refugitq; manus male sana cicatrix:
Nunc etiam (hoc restat) Salsethim euincere, & ipsis
Cultores auferre aris, cultoribus aras,
Et cultus monumenta, diu quae debita nobis
Sunt posita, & gentis veneranda insignia nostrae
Quae superi inuideant, homines excindere tentant,
Insidijsq; nouis vti meditantur, & armis.
Nos patimur? virtusq; malis infracta quiescet?
Nos caelum aspiciat pulsos decedere pugna?
Non ita. semotos cupide penetrastis ad Indos,
Per mare naufragum, per tela hostilia tuti:
Sed non & penetrasse mihi cupietis: acerbis
Instigabo animos odijs, & pectora nostris
Accendam facibus. Bellum ne inferre paratis
Agminibus stygijs? faxo, nec tempore longo,
Poeniteat, coeptumq; amens damnetis. ad arma
Confugiam, vestro sudabit sanguine tellus:
Et noua tentantes, ferroq; & caede repellam.
Nostraq; constituam vestra decora alta ruina.

Haec ait, & fremitu pectus compressit anhelum.
Hinc audens extrema, feris assultibus hostem
Longe arcere parat, licet altum pectore vulnus
Crudescat magis, & robur viresq; retardet.
Haud aliter, tumidus nemora inter frondea serpens
Ignea quem pastor tollentem lumina contra
Ad terram afflixit saxo, statuitq; trementem,
Parte ferox, partemq; lacer, porrectus in herba
Vt iacuit, frustra longos dat corpore tortus,
Et caput attritum extollit, caudaq; minatur.
Talis erat Phorbus, tali se mente ferebat,
Terribilis facie: ac primum Salsethida supra
Astitit: hic autem cum turbidus omnia visu
Perlustrat, foedosq; oculos per singula voluit,
Huc coniectus & huc, quo flammea lumina vertit,
Templa videt passim CHRISTVM *resonantia, passim*
Ante aedes, interq; vias, pagosq; frequentes,
Erectas de more cruces, circumq; piorum
Agmina tollentum palmas, veniamq; petentum:
Horruit aspectu, vultumq; auertit in illam
Conuersus partem, qua quinque per oppida, dura
Terra iacet, cultuq; ferox, & dedita monstris,
Quam mala finitimae gentis contagia laedunt.
Et depressa magis fundo subsedit in imo.
Huc igitur nota volitans regione viarum,
In Coculinorum praeceps se coniicit agros.
Ac veluti vultur caelo speculatus ab alto

Corpora

Corpora viuorum fugiens, secat aethera pennis,
Et longe diuersus abit, sed praeditus acri
Obtutu, qua praedam humilem prospectat, & auram
Funestam expirant proiecta cadauera, tendit.
Hic paulum aspectu tacitus stetit, aestuat intus
Omnibus inflatus furijs: tum pectora fraudis
Concutiens fecunda, suas se uertit ad artes.
Horrentesq; humeris picea ferrugine pennas
Exuit, & turpi demittit cornua fronte:
Et colubros capitis crines conuertit in albos:
Atque hominem simulans, forma conuertitur oris
Longaeuum in Battum, cui semper copia fandi
Larga, sed & virtus varijs exercita rebus.
Ille quidem ciues, pacem, seu bella gerentes,
Indictis ve sacris, celebrantes Orgia laeta
Et cantu, & choreis, magnis hortatibus implet.
It Batto similis Phorbus: primumq; Phialtae
Cercopidae, diuum effigies, arasq; tueri
A puero cui cura fuit, tunc obsitus aeuo,
Valle sub vmbrifera, qua ramos extulit alte
Palma frequens, calidi vitabat sideris aestum.
Huic sese Batti tardae incedentis imago,
Ceu curam, & tristi premat altum corde dolorem,
Obtulit: & procul, ex imo suspiria ducens
Pectore. Cercopide occidimus, iam funditus, inquit,
Occidimus, ni forte polo miserantur ab alto
Dij miseros casus: vel (rerum o tempora versa)

Nos

Nos magis in terris diuum miserescimus ipsi.
Gens inimica ruit, veterum subuertere templa
Certa deum, ritusq; nouos inducere, & aras,
Coniurata. Nefas. Tu ducere lentus in vmbra
Otia, tu potes, hic segnem captare quietem?
Surge age, & ad diuum propere te limina confer.
Horruit ignarus medio sermone Phialtes,
Diriguitq; gelu. tum corpus gramine molli
Corripit. Et paucis. Nam queis terroribus aures
Batte imples? An uera canis? Quae monstra? Quis auctor?
Ille autem: Non fingo equidem, nec fallere nostrum est.
His oculis vidi, cum proxima Goa pararet
Exitium templorum, & fata extrema deorum,
Vt tota expellat Salsethide, priscaq; possit
Inductis temerare nouis altaria sacris.
Ipsa quidem nostro iamdudum inuidit honori,
Quem patribus liquistis aui, vos ante relictum
A proauis voluistis eum seruare nepotes.
Non ante Oceano ter condens igniuomus sol
Luciferos radios terris adduxerit vmbram,
Quam ferus huc socios BERNVS *clademq; reducat.*
Quin tu (quid trepidas? rebus quid inutilis haeres
In medijs?) sacrosq; choros indicis ad aedem,
Et patrio celebrem cultu, longo ordine pompam?
Numina placemus. Dij se defendere possunt,
Et nos perpetua patrum sub lege tueri.
Ipse quidem certos homines per compita mittam,

Rura

Rura per, & pagos, nostro qui nomine sacra,
Et sacram edicant magno certamine pompam,
Crastinus ut Titan primos ostenderit ortus.
Haec ego dum propero, interea tibi sacra paranda,
Insternendi auro currus, simulacra mouenda,
Atque sacerdotum chorus accersendus ad aedem.
Haec ille, & tristi turbatum mente reliquit
Cercopiden magni properantem ad limina templi.
Nec mora, se formam Batti assimulatus eamdem
Fert ad Alexindam iuuenem, cui proelia semper
Iraeq; insidiaeq; sedent, motusq; rebelles.
His actus, nec frena potest, nec verbera ferre,
In morem sternacis equi, cum temnit habenas:
Lingua procax iuueni, mens feruida, dextera bello
Saeua: morae impatiens, quicquid statuisset agendum:
Et facinus patrare manu, & suadere paratus.
Miscuit hic populi coetus, & duxit ad arma,
Indomitos persaepe gerens in corde furores,
Primus inire aciem, postremus cedere pugna.
Tunc quoque non dubias voluebat pectore fraudes.
Talia versantem Phorbus, tempusq; loquendi
Nactus: Alexinda Indorum o fortissime dixit,
O vne ante alios contempti numinis vltor,
Tempus adest, quo templa potes, simulacraq; diuum
Neglecta, & manibus nuper violata cruentis
Vlcisci, decus vt nobis reddatur auitum,
Et sperata tibi referat victoria laudem.

Ni frenum

Ni frenum accipere, & victus parere, deumq;
Ferre potes cinerem latos volitare per agros,
Hostibus, & rapidis pariter ludibria ventis.
Goa furens odijs, rebusq; elata secundis
Arma virosq; parat. BERNVS *sic admonet auctor,*
Vt tota procul eiectis Salsethide diuis,
Indigenas patrio turbet de limine regni.
Quod te per templa, & patriae communis amorem,
Diuorumq; sacra, & dextram hanc virtute potentem,
Si fas est, oro, patriam defende, deosq;.
Res numquam melior se se obtulit, aut vbi possis
Istum animum magis, & notas effundere vires.
Quid te autem demens incensum demoror? Arma
Arma ferox properare iube. Te principe ferrum
Corripiant, in bella ruant, pacemq; retractent
Magnanimi iuuenes. PRO *dijs pugnare decorum est.*
Coge viros, incende faces, interfice sontes,
Quantum armis, quantum arte uales. Dij coepta iuuabunt.
Audaci incepto dabit haec audacia finem.
His stimulis agitur iuuenis, caecosq; furores
Ebibit, & totum sermonem audire loquentis
Vix patitur, malus affatu tantum aggerat iras
Phorbus, & iniecto perfundit corda veneno.
Tandem proripuit se se, iuuenemq; furentem
Liquit, & armatos cogentem ad proelia ciues,
Et simul his actis tota bacchatur in vrbe,
Et fertur quacumque, nigrae fert omina mortis:

Rumoresq; ferens varios, & crimina belli,
Suscitat incertos animos, populumq; lacessit
Lentum sponte sua, subitis sed vocibus actum,
Ilicet in furias, bellumq; immane ruentem.
Sic placidi natura maris pacata quiescit,
Et tacitum leuibus substernit nauibus aequor,
Squamigerum genus ostentans, camposq; natantes:
At simul exorto turbantur littora vento,
Vnda tumet, fremitumq; ciet, maris ira minatur
Indignata rates, montesq; attollit aquarum.
Diditur interea vicina per oppida rumor,
Falsaq; praetexens rebus mendacia veris,
Vera auget, sed falsa tegit, vimq; auribus affert,
Aduentare manum, Goa mittente, virorum
Qui sacras diuum effigies, cultusq; vetusti
Relliquias abolere velint, ritusq;, deosq;,
Cultorum exitio, & templi miscere ruina
Atque alias penitus cupiant imponere leges.
Exarsere omnes furijs, diuosq; precantur
Tutari delubra, ferum de finibus hostem
Pellere, & aduersos venienti obsistere turmae.
Omnibus idem animus, quin & vox omnibus vna,
Esse deos donis placandos: eminus hostes
Arcendos armis: clamant sacra, & arma: Phialte
Sacra, at Alexinda ne desint arma, caueto.
Talia laetatur miscens incendia Phorbus
Fulmineam nigra faciem caligine septus:

Atque hos, atque illos animis audacibus implet.
Adiuuat horrificum tristi nox concolor vmbra:
Et circum effusis nigrescunt cuncta tenebris.
Nox oculis lucem, Phorbus sed mentibus aufert,
Nec quisquam interea placidae dat membra quieti.
Nam licet aestiuis breuior mora noctibus obstet,
Solq; diem properet, tamen hunc persaepe morantem
Dixere, & tardis mittentem lora quadrigis.
Tantus amor ferri, sacrorum tanta libido est.

FINIS.

FRANCISCI BENCII

QVINQVE . MARTYRVM LIBER . TERTIVS

POSTERA *vix tandem consumpta nocte rubebat*
Orta dies, summosq; nouo vix lumine montes
Spargebat Sol altus equis, quos feruidus ante it
Ore leo, & geminam proflans de pectore flammam
Ardorem incensis Indorum mentibus addit.
Iam Coculini ardent, iam totam effusa per oram
Finitimos circum populos animosa iuuentus
Ingenti fremitu: dubio iam pectore matres
Diuersum per iter, varijs vt cursibus amnes
Oceani ad fluctus, vnam vertuntur ad arcem.
Vsque adeo, & pompae, & propioris fama pericli,

Multiplici sermone leues leuis occupat aures.
Iamq; propinquabant muro, templumq; subibant,
Falsaq; supplicibus venerantes numina votis
Muta fatigabant vanis clamoribus aera.
Templum erat antiquae medijs in sedibus vrbis
Porticibus longis solido de marmore cinctum.
Munifico luxu: Brachmanum nobile donum:
Brachmanum, quos imperijs opibusq; superbos
(Nam regum veteri ducunt ab origine gentem)
India caelestum venerata aequauit honori,
Atque deos, & fana deum defendere iussit.
Vestibulum ante ipsum saxo constructa vetusto
Labra iacent, semper liquidis vndantia lymphis,
Queis se se abluere, & corpus tergere solebant
Aedem ingressuri, & diuos placare parati.
Parte alia, caelo fulgenti ex aere columna
Tollitur, & miseram speciem mirantibus offert:
Multiplices cuius radij de vertice summo
Apparent, horrentq; acies mucronibus vncis.
Scilicet his, miseri, vitam qui sponte nefandae
Deuouere neci, placantes numina diuum
(Dira superstitio) lumbos qua spina per artus
Diuidit, impliciti pendent, taboq; fluentes
Et sanie, longa tandem sic morte necantur.
Ipso autem in templo, primos qua prospicit ortus,
Stat specus horrendum piceae caligine noctis
Cultorumq; metu: nigrae clausere cauernae

Parietibus

Parietibus ſeptum caecis, quo limite paruo
Fert iter anguſtum in tenebris aditusq; maligno.
Monſtriferum (heu ſcelus indignum) ſacraria diuum,
Quos oleo pinguiq; ſolent perducere amurca,
Foti oleo, & paſſim graueolentes ora miniſtri:
Luminaq; accendunt lychnis pendentibus, atra
Vt nebula, & craſſo nigreſcant omnia fumo:
Non ſecus infernae ſedes, ſceleratáq; clauſtra
Quae poenas ſontum exercent ſub nocte profunda,
Perpetuis horrent tenebris, ac lumine furuo.
Ipſius ante adyti fauces caecumq; cubile
Agminis horrifici ſtygiarum luſtra ferarum,
Permisti ſenibus pueri, nuptisq; puellae,
Pectora nigri omnes, nec operti veſtibus omnes,
Inguinibus tenus (albenti nam cetera lino
Membra tegunt) vario ſuſpendunt corpora ſaltu,
Molliaq; alterno demittunt brachia motu,
In numerumq; ſonos digitis plaudentibus edunt,
Et choreas inter, laſciuis cantibus auras
Confuſas feriunt certantes, & pede terram.
Huc odijs ergo & ſtimulis ingentibus acti,
Quos graue vulnifici percuſſit daemonis oeſtrum
Triſtibus accendens furijs, e finibus omnes
Exciti patrijs propere Salſethide tota
Conueniunt, templumq; altis clamoribus implent,
Et votis, quae mox rapiunt per inania venti.
Summe deum colit antiquo quos India ritu

Et ſtipe

Et stipe largifica veneratur laeta quotannis:
Aspicis haec, qui cuncta vides? en aspice tandem,
Quid noua relligio, & legi contraria nostrae
Nuper ab Europa vndosum deuecta per aequor,
Freta viris quos nulla diu fregere pericla,
Conetur, satis ausa tuum contemnere honorem.
Aspicis? an ne homines piget aspexisse nocentes
Tot dignos odijs? mens coeptis haeret in ijsdem,
Qua factum, vt domibus quondam templisq; relictis
Tercentum auertens, hic tandem figere sedem
Optares. Hoc ne etiam certent detrudere regno?
Hanc aram, hanc rapiant Indis patientibus arcem?
Quin magis euigilas, & notas tendis ad artes,
Horrida quas triplici testatur imagine forma?
Ede sonos, exerta vngues, diffunde venenum,
Teq; tuamq; domum defende, vlciscere templa,
Latratu, rabie, afflatu: te namque fatentur
Ora canem, tigrin pectus, postrema draconem.
Iam cessisse diu satis est. Nunc vertere in hostem,
Et longum pietas seruata erumpat in iras.
Haec illi; & longum tererent per talia tempus:
Brachmanum admonitu ni missus forte Phialtes,
Dum templum instruitur, monstrumq; educitur antro,
Ire domum iubeat, pompamq; optare paratos.
Non secus ac iussi faciunt, dapibusq; refecti
Expectare sacra, & festae sollemnia pompae:
Cum primum excierit vox nuntia, rursus vt omnem

Abij-

Abijciantq; moram, choreasq; iubentibus adsint.
Ac velut intenti per densa sedilia nautae
Expectant signum, simul vt de puppe magister
Iusserit aere cauo portumq; vrbemq; relinqui,
Remigijs aptentq; rates, & lintea ventis.
Atque ea dum properant Coculini, & confluit vna
Turba frequens, plenisq; vijs vaga compita feruent,
Nec iam se capiunt aedes, ac tecta domorum:
RODVLPHVS *pater, & socij quos Goa tenebat*
Ex humili surgunt strato: lux namque propinquat,
Et matutinus somnum sonus increpat aeris.
Hic quoties primo radiantibus exit eoo
Sol iaculis, scinditq; nigrae velamina noctis,
Suadet inire preces, & mentem inferre beatis
Sedibus, & placido rorem deducere caelo,
Qui laetos animorum agros, fetusq; virentes
Et nitidis pingat gemmis, & frigeret aura.
Hic autem vt tacito venerantes pectore numen
Innixi genibus, quam longa est hora, precati,
Placauere DEVM: *dein sanctam pronus ad aram*
Quilibet, accensis facibus, de more, sacerdos
Sacra facit, duplicatq; preces, & mystica verba
Admiscens, niueam sacro pro vertice tendit
Hostiam, & auratum calicem, tua pignora CHRISTE,
Et corpus complexa tuum, complexa cruorem,
Diuinae complexa dapes, & pocula mensae:
Munera CHRISTE *tua, & saeui monumenta doloris.*

Haud

Haud mora, perfecto sollemni more sacrorum
Conueniunt vna rebusq; animisq; parati,
Quos iterum affatur VINCENTIVS. *o manus, inquit,*
O mea lecta manus, quam non manus extera coepto,
Nec quicquid monstrorum Erebus vastisq; lacunis
Procreat, & diris eructat faucibus Orci,
Dimoueat: quando ipse suis, vt pectore vires
Stent solidae, inspirat non expugnabile robur
Rex superum, firmatq; animos, & tela ministrat.
Non ego nunc, morbi teneat ni causa recentis,
Et grauis impediat defectis viribus aetas,
Me sine, vos vllum paterer tentare laborem,
Et socius vobis, non tantum hortator adessem.
Caelo aliter visum. Sed nunc, quod restat, euntes
Et studio sequar, & precibus. Ducentibus ite
Vos superis: ite o memores, pro nomine tanto
Quae deceat vos velle pati. RODVLPHE *laborum*
Tu rector, tu ALPHONSE *comes, sed cetera pubes*
Pareat, & faciles dictis accommodet aures:
Ipse quidem (quia vestra mihi sat cognita virtus)
Non metuam suscepti vmquam ne muneris, aut vos,
Aut vos, poeniteat. CHRISTVS *disceptat: in illo*
Haud dubiam experti spem ponite. Magna petuntur,
Sed vobis maiora dabit Pater optimus: vt, si
Vota modum superant, superentur munere vota.
Ite pij, o socij, CHRISTO *duce. Cernitis? altam*
Ipse crucem praefert respersus sanguine membra,

Horta-

Hortaturq; animos dictis: si certa cupido
Est cui nostra sequi vestigia, tollat & ipse
Sponte suam, gestetq; crucem, sua commoda, seq;
Abneget, ac vitae nullo teneatur amore,
Quam breuia aeternum procudunt funera in aeuum.
Dixerat, ac primum RODVLPHVM *amplexus inhaesit,*
Dehinc reliquos, salsa humectans aspergine vultum,
Ordine quemque suo: quem mox imitata corona
Cetera, quae socios circum cingebat ituros,
In dulces ruit amplexus, interq; precatur
Esse sui memores, vincli & communis amorem
Seruare aeternum: nec se se auellere possunt,
Mutua fundentes digressu dicta supremo.
Tandem progreditur RODVLPHVS *fausta precatus,*
Atque orat veniam: patrum quem coetus euntem
Prosequitur, sociosq; alios: hi tecta relinquunt,
Non visenda iterum: tum recto littora gressu
Curua petunt: vbi palma ratis de more cauata
(Hac Indi tenues formant ex arbore lintres)
Expectat, facili vt possit perducere flexu,
Transq; fretum aduersa tutos exponat arena.
Est vetus Indorum vasto tutissima ponto
Insula, quam circum gemino confunditur aestu
Brachia protendens pelagus, paruoq; remotam
A tellure freto stagnantibus alligat vndis.
Insula lata parum, spatio sed longior exit.
Prima fronte patet, sensim tenuatur in arctum

Corpore porrecto, mediaq; in littoris ora,
Qua latus obijcitur Boreae, pontoq; resistit,
Vrbem habet, hanc celebri dixerunt nomine GOAM.
Ipsa olim, vt perhibent, nec inani pignore suasit
Aerea de ligno CHRISTI *pendentis imago,*
Dum domus extruitur, priscis effossa ruinis,
Agnouit coluitq; Deum, qui debita morti
Saecla hominum moriens larga mercede redemit.
Post longis defessa malis, bellisq;, coacta
Multorum imperijs, cultus oblita priores,
In varios ierat ritus, legesq; nefandas,
Perq; vices sacra & mores mutarat heriles.
Donec Lysiadum EMMANVEL *rex optimus (octo*
Iam decies fluxere anni) virtute recepit,
Reddidit, & CHRISTO, CHRISTI *quam ceperat Vrbem*
Auxilijs, cultusq; pios ritusq; nouauit.
Hanc vrbem, hanc Indis posuit melioribus arcem:
Esse nouo hic regno voluit caput: hic sacra iussit,
Hic populis sua iura dari. sedet ipse sacerdos,
Infula cui nitidos aduelat candida crines,
Imbuat vt sacris animas, & muniat armis,
Atque salutari permulcens vnguine frontem
Aetheriasq; notas, & CHRISTI *nomen inurat.*
Nec minus hic etiam subiectae praesidet orae
Vir grauis imperio, atque annis, qui munera regis
Exequitur, pacisq; bonus belliq; minister,
Pro meritis iuste & poenas, & praemia reddit.

Hac

Hac pius extulerat gressum RODVLPHVS *ab urbe*
Et socium delecta manus: littusq; tenebant.
Haud procul hinc celsus frondoso vertice collis
Cernitur, impositamq; ostentat desuper aedem:
Monstris Tartareis fama est sacrasse vetustos
Brachmanum proauos, tibi nunc qui candidus astra
Ignibus accendis LAVRENS, *templumq; diemq;*
Christicolae dixere sacrum: te namque perusta
Crates, suggeritur magno cui flamma sonore,
Nudatiq; super iuuenis designat imago.
Huc subeunt taciti, primoq; ab limine templi
Hic ubi lustrales seruabant marmora lymphas,
Adspersi frontem, diuinum heroa salutant,
Atque DEVM, *genibus submissi, mente precantur,*
Consilijs bonus ut faueat, spiretq; secundus,
Detq; viam placidam coeptis, ac numine dextro
Esse velit facilemq; modum, metamq; laborum.
Haec inter, dubios rerum cum mente volutat
Euentus prudens AQVIVIVIVS, *ignibus aether*
Plurimus accendi, circumq; albescere visus:
Et noua lux oculis se se obtulit: horruit artus
Extemplo, & rutilam conspexit in aëre nubem:
Hac lucet media LAVRENS, *iuxtaq; virorum*
Inclyta vis, quorum partem cognoscere visus:
Purpuream cunctis chlamydem nam plurimus auri
Ambit honos, clarasq; notas, & nomina circum
Sideris in morem praefulgens littera signat.

Agnouit socios, qui terris multa mariq;
Iamdudum & plagas passi mortemq; feruntur:
Brasiliam seu classe petant, seu littoris Indi
Ingressi terras magno molimine tendant
Depulsis populorum atris e mente tenebris
Pandere sidereas arces, & limen Olympi.
Hic magnum aurato diffundit vertice lumen,
Primus, & ardorem spectanti ANTONIVS *addit,*
Quo se Parma opibus pollens, nutrixq; virorum
Robore praestantum, & belli felicibus ausis,
Italiae lux magna suae, iactabit alumno,
Dum vaga conuexo fulgebunt sidera caelo.
Ille autem, qua Gangem intra sese India pandit,
Colaiciq; sinus summo discluditur aestu,
Dum CHRISTI *tutatur oues, quas fonte salubri*
Merserat, & riuos illis, & pascua praebet,
Raptores procul ecce lupos prospectat euntes
Agmine praecipiti: nec visu territus haeret,
Aut petit vt fugiat gregibus loca tuta relictis:
Pro quibus haud metuit supremam ponere vitam:
Et posuit lato traiectus pectora ferro.
Proximus huic claro MENDES ALOISIVS *ore*
Cernitur, & gemino circum splendore coruscat,
Qui simili ANTONI *exemplo dum littore eodem*
Talia persequitur, crudeli concidit ense.
Hic CONSALVVS *erat* SILVERIA, *primus in Afros*
Qui quondam extremos, aeterni luminis auram

Intulit,

Intulit, & CHRISTO plures adiungere reges
Ac populos ausus, sacrum increbrescere nomen
Sensit, & extemplo violenta est morte peremptus,
Quam prouisam animo, verbis praedixerat ante.
Linea constrictas presserunt vincula fauces.
Nec procul apparet, mediaq; in luce refulget
CASTRIVS ALPHONSVS, *quem tractum fune, fameq;*
Confectum vigili, grauiore vt morte periret,
Indi inter cautes, & procurrentia saxa,
Demisere neci, & pelago mersere profundo:
Piscibus, heu, praeda & monstris non digna marinis.
Parte alia duo sublimi se vertice tollunt,
Conspicui iuuenes, quos dum mandata supremi
Numinis exponunt populo, CHRISTVMq; *docendo*
Brasilijs celebrant oris, gens barbara leto
Sustulit immiti: CORRAEA *hic* PETRVS, *at ille*
Fertur IOANNES, SOSAM *descripserat aurum.*
Haud procul inde virum coetus se plurimus offert,
Lucis & in media stellatus nube renidet,
Quattuor ante alios, IGNATIVS AZEVEDVS,
DIDACVS ANDRADVS, FRANCISCVS CASTRIVS, *et qui*
Eminet insigni PETRVS *pulcherrimus ore,*
Hunc dixere DIAM: *laetos hinc cetera vultus*
Pone sequens manus ostendit, nec tota videri
Sic permista potest. qualis depicta tabella
Parua, hominum turbam ingentem si forte notando
Explicet, vt nequeat cunctas expromere formas:

Protinus

Protinus apparent primi, totoq; feruntur
Corpore, decrescunt alij, pars pectora summa
Extollunt, pars colla ferunt sublimia, sed pars
Maxima vix fronte atque oculis extantibus exit.
Aspicias reliquum condenso vertice vulgus.
Talis erat speciosa cohors, caelumq; tenebat.
Talia dum spectat, socium dum nomina lustrat
Singula RODVLPHVS, *stupefacto lumine primum*
Constitit, eximio sociorum captus amore:
Tum noua res subito mouit praecordia sensu.
Namque ea cernenti, atque oculos per cuncta ferenti
Annuere est visus LAVRENS, *ac fortibus illam*
Morte obita socijs sedem monstrare paratam:
Et procul ex oculis euasit in aethera fulgor.
Illi autem, & lacrimae, & voces se rumpere summae
Incipiunt, vnaq; oculos, atque ora tuentis
Facta nube premunt, sed enim venientibus obstat,
Et lacrimas, vocesq; domat. Tum surgit, & ipsos
Vertitur ad socios. Imus feliciter, inquit,
Patre DEO *monstrante viam. Nec plura. Phaselum*
Ingreditur: poscitq; iterum pia numina votis.
Mox alij: & pariter considunt ordine certo,
Hinc bini, atque illinc, medium tenet ipse: sed haeret
Exterior lateri ALPHONSVS, BERNVS*q; sinister:*
Nauta ratem aduertit pelago, contoq; suburget,
Et ciet eliso canentes gurgite fluctus.
Atque ita dum superant aduerso flumine flexus,

Nec

Nec procul apparet Salsethis ab aequore terra,
Talibus affatus comites AQVIVIVIVS, *infit.*
O socij (neque enim mores nescitis, & oram
Quam petimus: namque ante illic considere vobis
Contigit, & notos iampridem tenditis agros.
Tuq; ALPHONSE *adeo, rerum cui plurimus vsus)*
Dicite, quod genus hoc hominum? quae terra? quis auctor
Omnis vt ad CHRISTVM *ne se applicet? & quod iniquum*
Est odium, tantasq; animis exuscitat iras,
Vt placidis superum monitis parere recusent?
Nota mihi haec olim: ast iterum narrata iuuabunt.
Interea capiarq; locis, & imagine rerum.
Dixit: & ALPHONSVS *reliquis hortantibus orsus.*
Haec tellus quam cernis, aquis non tota refusis
Alluitur circum, gracili sed limite cardo
Qua coit, & geminos non longe diuidit aestus
Faucibus angustis, premit Idalcanus auito
Rex ferus imperio, Mehemetis iura secutus.
Lysiadum ille quidem protendi huc regna manusq;
Non tulit: infestus nostros exercuit armis
Saepe pharetratae producens robora pubis:
Haud impune licet: quoties ad proelia venit
Siue acie mallet, siue agmine, sanguine campos
Infecit toties, & victus littore cessit:
Et tandem hac trepidus pacem mercede redemit.
Tradidit hanc oram, tardis quam passibus omnem
Exiguae lucis spatio metator obiret.

Parua

Parua quidem, sed diues opum: non fontibus illa
Indiget aut fluuijs liquentibus: omnibus illa
India quas iactat, siluis, & rebus abundat:
Assiduo sic vere viret, fruiturq; sereno,
Nec quae sit caeli grauis inclementia, nouit.
Hinc, veluti cum sol aperit pulcherrimus annum,
Ridet odoratus gemmatis floribus hortus,
Passim delicijs internitet, & noua passim
Rura, nouas ostentat opes, villasq; frequentes:
Sexaginta adeo ac septem numerantur: ab illis
SALSETHIM *veteres dixerunt nomine terram.*
Natura fecundus ager, cultusq; laborem
Fructibus exuperat, facile vt ditescere possit,
Quisquis amat terram exercendo impendere curam.
Spiritus hinc auidus genti, luxuq; superbus,
Impatiens legum, regum contemptor, vt aequum
Abnuat imperium, rebus persaepe nouandis
Impiger, atque etiam subita ratione gerendis.
Adiuuat ingenium veteris vicinia regis:
Hoc sibi perfugium temerati iuris, asylum
Hoc statuunt, celeriq; fuga, tutoq; receptu.
Ille autem malus, insidijs & tempore capto,
Quae CHRISTI *noua progenies pia templa sacrauit*
Prima DEO, *subito aggressu turbante tumultu*
Improuiso animos nostrorum euertit, & altas
Vt lupus in siluas commissa caede recessit.
Nec satis hoc fecisse semel: rursum improbus ausus

Impura

Impura rediuiua manu rescindere tecta:
Christicolas hinc saepe nouos formidine pressit,
Et CHRISTVM *excussit multorum pectore, quorum*
Coeperat insinuans ima in praecordia labi.
Haud aliter, subita permistus grandine nimbus
Contudit vt teneras fruges, & gramina laesit,
Squalet ager, nec laeta seges caput altius effert.
Nec modus audendi, donec vi fractus & armis
Abstitit: & qualis tumefacto gurgite pontus
Diluuiem cultos frustra meditatur in agros:
(Nam DEVS *vndantem vinclis, frenisq; coëret)*
Talis & ipse suis inclusus finibus iras
Frangit, & impositas discit non temnere leges.
Cur igitur, RODVLPHVS *ait, non tota* DEO *iam*
Salsethis dat victa manus, si proximus hostis
Abstinuit bello? Gens saeua atque horrida cultu est,
Suscipit ALPHONSVS, *tacitaq; exaestuat ira,*
Inflammata odijs, diuum, quod fana, deosq;
Eruimus pedibusq; super calcauimus aras.
Adde, quod infido nulla est constantia regi:
Iam silet: at coquit indomito sub pectore curam,
Et (ceu cum torpet brumali frigore serpens)
Virus habet, licet vsque premat: vomet inde venenum,
Obseruata diu faueant si tempora votis,
Et tacitum ingenti pensabit fenore tempus.
Ingrauat haec vecors Brachmanum cura, magistros
Quos habet officij, quibus inclinata recumbit

Improba relligio: caecos sub pectore vertunt
Hi stimulos, acuuntq; graues sermonibus iras:
Cumq; suis euersa sacris delubra deorum,
Et sibi praereptum decus indignantur auitum.
Hinc leuibus linguae flabris vanissima vulgi
Pectora versantes (ceu toto innantia caelo
Nubila cum glomerant pluuiarum semina, venti)
Huc illuc agitant, dum tempestate coacta
Flumina desiliant, telorumq; horridus imber
Ingruat, & nostro perfundat cuncta cruore.
Maior enim quam tota alias Salsethide, turba,
Brachmanum, & vis est: popularis sustulit aura
Inflatos studijs. Naturam hi quaerere rerum,
Inuentamq; rudi populo proferre, viamq;
Quam teneat, monstrare solent, si lumine captus
Dux caeco bonus esse potest, & deuius ipse
Vt patulam offendit foueam, vestigia torsit,
Nec cecidit demens, nec traxit pone sequentem
Praecipitem: geminamq; ambo fugere ruinam.
Sed quis hic exiguam obsedit tanto agmine terram
Brachmanum numerus? Quaerenti talia, contra
Reddidit ALPHONSVS. *Indorum hanc littoris oram,*
Qua procul immensum tellus procurrit in aequor
Colaicis praetenta iugis (ea nomina quondam
Priscis, vt perhibent: quae post Comorina minores
Appellasse ferunt) portus super usque patentes
Antiquae Patales, geminis quam faucibus vndas

In

In mare deuoluens violentior alluit Indus.
Et triquetrae similis summo iacet insula ponto.
Ergo hos terrarum tractus non ante reclusos
Ignotum per iter penetrauit Lysia pubes,
Cui via nulla vmquam fuit inuia, nulla reductos
Abscondere sinus pelagi freta, nixa benignis
CHRISTE *tuis magis auxilijs, regumq; piorum,*
Quos semper tulit imperijs, quam milite & armis,
Et CRVCIS *insigne edomitas super extulit vrbes.*
Verum vbi demissum caelo se fundere lumen
Coepit, & excussit diras regionibus vmbras,
Sacraq; verticibus perfusis vnda, tenebras
Abluit, & mentes diuina luce repleuit:
Quando aegris oculis, aßueti nocte recentem
Non poterant perferre diem, nigrosq; receßus
Lucifugi optabant Brachmanes, nubila qua se
Plurima densarant, tandem huc cessere volentes:
Grex auium veluti ducens a vespere nomen,
Obscuras sequitur tenebras, & lumina vitat.
Haec inter se se socij sermone ferebant,
Iamq; propinquabant ripae, terramq; petebant.

Gratia magna DEO, *pater o* RODVLPHE, *profusis*
ALPHONSVS *sequitur lacrimis. Hoc obice quondam*
Clausus erat nostris aditus: custodia pernix
Limina seruabat, tandem mercede domanda,
Liber vt ingreßus paucis foret: esse negares
Argentum, atque ageres precibus, spes nulla dabatur:

Non prece, sed pretio ad terram via tuta patebat.
Iamq; aliqui impurae tulerunt conuicia gentis,
Ast alij plagas & vulnera. Nunc tamen ecce
Omnia tuta patent, nec quisquam finibus arcet.
Haec ait, & pariter greßus ad littora tendunt
Tellurem ingreßi (namque hunc XAVERIVS *olim*
Morem habuit, docuitq; suos seruare minores)
Aligerum, cui cura DEO *mandante tuendae*
Obtigit ante alios Salsethidis, ore precantur,
Dexter vt accipiat venienteis, & comes adsit:
Corripiuntq; viam pedibus. Quos aliger inter
It medius, fallitq; patres permistus, & ardet
Aspicere, & iuuenis sumpta sub imagine gaudet.
Hic primum se se aspectu Salsethis in vno
Vt tulit insignem visu, circumq; nitentem
Arcibus, vt paruo fulgentibus interuallo
Luminibus: tales volucrum pulcherrima pennas
Explicat, & se se picto circumspicit auro.
RODVLPHVS *caelum aspectans. Pro maxime rector*
Terra ne tam mollis, tam laetis frugibus apta,
Tam duros hominum mores, tam poßit agrestes
Ferre animos? Quia ne ingenium dediscere muta
Terra nequit, natura potest humana benignos
Fructus exuere, ac sterili siluescere ramo?
Dixit, & ad BERNVM, *qui laetis omnia lustrat*
Luminibus (namque ipse alto sub pectore curam
Obnixus premit ALPHONSVS, *caelumq; tuendo*

In

In se totus abit) conuertens verba, profatur.
BERNE, *quid huc celeres oculos nunc diuidis illuc?*
Dic age, quo subito salierunt pectora motu?
BERNVS *ad haec, oculos* RODVLPHI *in corpore fixus.*
O pater, haud nulla est laetandi causa: recursat
Illa animo species, cum quondam haec silua ferarum
Vincla recusantum, saeuisq; immane frementum
Faucibus, & diro spargentum cuncta veneno
Plena erat: hic animas nigri regnator Auerni
Tristibus imperijs dura sub lege tenebat:
Illius hic sedes: hic execrabile regnum:
Hic sacra: hic ritus: hic paruam crebra per oram
Fana, & Tartarei monstri monumenta nefanda.
Sed tandem voluenda dies abeuntibus annis
Attulit auxilium CHRISTO *mittente, deumq;*
Tercentum plures euersae funditus aedes.
Quod nisi tam multis hominum de coetibus essent
Quinque super, cupidi sceleris, vitaeq; nocentis,
Iam toto depulsa foret de corpore pestis.
Vt putris huc vomica abscessit, vis morbida totis
Viribus incubuit. FERRO *resecanda manuq; est,*
Ne partes laesisse queat pars laesa valentes.
Nec nisi detracto sanandum sanguine corpus.
Dixit, & ignarus tacitis ventura videntem
RODVLPHVM *indicijs, & singula dicta notantem*
Impulit ad lacrimas, gradiensq; haec insuper addit.
Centum habitant hominum Salsethim millia: dena
Millia

Millia bis denos tandem conuersa per annos
Bis genitum agnouere DEVM, *diuinaq; iussa,*
Et veterem culpam diuino fonte piarunt.
Nunc quoniam e tantis tenebris, ac turbine tanto
Tam placido in portu, tam clara in luce locatos,
Res non vlla sui officij tam commonet, & tam
Efficit, vt puram poßint defendere vitam,
Susceptosq; semel ritus seruare peremnes,
Quam templa atque arae, & populo sollemnia sacra,
Si sedet hoc animo, si res Salsethidis omnes
Nosse iuuat, nec quicquam aliud praediscere mauis,
Accipe nunc, quorum posuerunt nomine templa.
Ipsa nouem constructa locis: temploq; sacerdos
Cuilibet addictus: millenis quisque ministrat
Pluribus atque adeo, pro se spatioq; locorum,
Regum delicias, diuini pabula amoris.
Ille viden' terrae collis qui plurimus omni
Imminet, & reliquam despectat desuper oram?
Regius hic praeses, legumq; interpres, in omnes
Imperium exercet terras, populumq; tuetur.
Raccholum dixere arcem: sed praesidet arci
Alma parens, virgoq; eadem: sacra nomina templo
Aestiuae posuere niues: hic sueta vocari,
Ipsa facit votiq; reos, coetusq; frequentat.
Constitit his dictis ad dextram lumina vertens,
Nec minus ANDREAE *monstrat venerabile tectum*
Mormogane tuis in finibus. Haud procul inde

Illius,

Illius, Indorum prisco qui tempore mentes
Erudijt princeps, & fuso sanguine sanxit,
Magnanimi THOMAE : *Belsami ea condita sedes.*
Aspice, IOANNIS *colit aedem Colua propinquam*
Illius, ante omnes CHRISTO *qui carior vnus*
Ipsius in gremio posuit caput, vnus & hausit
Summam inter coenam diuino e fonte liquores,
Quos orbi attonito velut alto erumperet amne.
Non procul hinc vates, quo vatum ex ordine nemo
Sanctior exortus suspexit lumina solis.
Cernitis hinc medio in campo quae moenia surgunt?
Quod templum? hic veteres terrae praediuitis arces
Margani, hac vacua daemon regnabat in aula.
Nunc tamen has sedes, haec SANCTVS *templa sacrauit*
SPIRITVS, *hac fusis furijs dominatur in arce.*
Militiae vt dux bello cum contudit hostem,
Ditat ouans spolijs socios, victumq; tyrannum
E male defenso cogit decedere regno.
Ille abit indignans, oculosq; ad tecta retorquet.
Haec autem lenti quo iam peruenimus, aedes,
(Quando huc te socijs dudum expectantibus affers)
Vna duum tutela virum est. Tibi namque PHILIPPE
Atque IACOBE *tibi plebs Cortalina dicauit*
Et magno celebrat cultu studioq; frequenti.
Sed duo praeterea priscis extructa ruinis
Templa vides, diuersa locis? CRVX *inclyta laeuo,*
At MICHAEL *dextro nomen dedit. aspice vtrumque.*

Hic

Hic Verna, Vrlinum est illic, qua terra bicornis
Brachia discludit pelagi, terraeq; patenti
Limite pertenui, paruis & finibus haeret:
Gentibus heu semper tellus infesta propinquis.
Gentibus heu miseris, tristi quas pectore daemon
Occupat: huc se asper fracta virtute recepit:
Abditus hic reficit fessas ad proelia vires.
Haec BERNO *dicente, illam* RODVLPHVS *in oram*
Atque alij, quantum possunt intendere contra,
Conuertere oculos, procul & mirabile monstrum
Aspiciunt, nigro glomerari turbine nubem
Desuper, & densa obtexi caligine caelum.
Dumq; ea conspiciunt longe, sublime tuentur
Terribiles ferri formas, & foeda volantum
Corpora, densatis veluti quas nubibus aër
Ostentat varias species, atque ora ferarum.
Tartarei hic volucres, miris simulacra figuris,
Monstrorum & facies obsceno corpore reddunt.
Hic Sphynx horrifica, & flammis armata chimaera,
Gorgoneum hic monstrum: diris hic feta colubris
Hydra nocens: Harpyia rapax: & Scylla biformis:
Turgidus hic Python: tripliciq; immanis hiatu
Cerberus: ac vario concretae semine pestes.
Illic Geryones, Polyphemi, magna gigantum
Corpora: Centauriq; truces, tristesq; Megaerae:
Et Lamiae epoto ducentes sanguine vitam.
Omnibus his vertex saeuos pro crinibus angues
Erigit,

Erigit, horrendum, rutila stant lumina flamma:
Et trahitur spisso sinuosa volumine cauda,
Ventosaeq; patent humeris nigrantibus alae.
Scilicet & versat celeri per inania motu
Corpora turba leuis, stygijsq; excita cauernis
Certatim properat Coculini visere pompam.
Talia mirantur patres, miserantur & vna
Quos populos premeret nubes scelerata volucrum.
Mox tamen in templum a socijs de more recepti
Laetitiamq; ferunt, & proni numen adorant.
At Coculinorum gens impia, sacra deorum
In multum dilata diem, pompamq; morantem
Increpitat, queriturq; graues obstare paratis
Officijs monitus, ac votis iußa requirit.
Donec ab excelsa praemißus nuntius aede
Ter circum clamore vias, & compita circum
Ter dedit, atque omnes celer alta in templa vocauit.
Conueniunt extemplo omnes, vndisq; viarum
Multijugis ad templa fluunt: furor omnibus idem,
Non idem cultus sollemnis. laeta iuuentus
Emicat, & multo saturam fert murice vestem,
Quam circum & gemma, & fuluum praetexitur aurum.
Pone senes celerant gressus, nec passibus aequant
Fulmineos iuuenes: hos pellucentia velant
Carbasa, quae folijs olim depexa niuali
Vellere concretis pertexunt tenuia Seres.
His atq; his imo de pectore pendet amictus

Ad summos fluitans talos: tum vincula plantas
Mollia circumdant: celso stat vertice tegmen
Tortile, quod vario tornauit dextra colore:
It capiti diuersus apex iuuenumq; senumq;:
Nec minus est matrum discrimen: caerula palla
Intertexta auro nuribus nitet: alba puellis,
Floribus, & circum varijs conserta corymbis:
Additur argentum capiti, colloq; monile:
Perque pedum & manuum digitos it flexilis auri
Circulus, & fusci distinguit corporis artus.
Sed tamen & molles non tantum vellicat aures
Aurum virginibus: nares quoque: fibula ab ipsis
Nexilis, & curuo dependet circulus vnco.
Has inter, pueri, atque viros, vt cuique libido est,
Immisti veniunt alacres, dextrisq; parentum
Impliciti cursant. est vestis discolor illis,
Et crinale aurum: turbam mirantur, & omnia
Mobilibus spectant oculis, & nomina quaerunt.
Ecce autem vario dum feruent agmina motu,
Dum resonant clamore viae, praeterq; meanti
Atque iter hortanti turbae, sonus occupat aures:
Praeco abit, & longe proclamans voce canora
Terribili monitu horrificat: nam flectere gressum,
Eq; via media spatium concedere plebem
Brachmanis Nairisq; iubet. communis vtrisque
Maiestas, similes fastus, moresq; superbi.
Vna est Brachmanis sacrorum cura, deumq;

Stirpis

Stirpis ab exortu: sunt illis linea fila
E collo latus ad medium connexa: tiara
Stat capiti, lataeq; fluunt e corpore vestes,
Quas laeuo ex humero nodo labente retorquent.
At Naires, regale genus, deuotaq; forti
Pectora militiae, si vulgus forte videndum
Se ferat, esse fremit culpam vel caede piandam,
Ni fuga subsidio subeat, vacuumq; relinquat
In medio plebs iussa locum, vel limite cedat.
Ipsi autem seu bella tonent, seu fracta quiescant,
Arma ferunt, harpen dextra, cetramq; sinistra.
Falcatus namque harpe ensis, sed cetra lacerto
Inseritur, pectusq; tegit: sine talibus armis
Non acies ineunt Indi, non proelia tentant.
Ergo iter ad templum (cuius iam limina sertis
Sparserat, & laeta velarat fronte sacerdos
Pingue addens oleum) diuersis partibus omnes
Accelerant, vinctiq; comas, & veste decori,
Vastaq; confuso complerunt atria coetu,
Ducturi pompam, pars & spectare parati.
Nec mora Cercopides caecis egressus ab antris
Intonat horrendum clamans, & cedere cogit,
Nam iubet ad patrios conuentus quemque reuerti,
Iactet opes vt quisque suae non immemor artis
Agmine partito, & variet spectacula pompae.
Et tandem e templo festam expectata per vrbem
Pompa ruit: neque enim lento procedere gressu

Ad summos fluitans talos: tum vincula plantas
Mollia circumdant: celso stat vertice tegmen
Tortile, quod vario tornauit dextra colore:
It capiti diuersus apex iuuenumq; senumq;:
Nec minus est matrum discrimen: caerula palla
Intertexta auro nuribus nitet: alba puellis,
Floribus, & circum varijs conserta corymbis:
Additur argentum capiti, colloq; monile:
Perque pedum & manuum digitos it flexilis auri
Circulus, & fusci distinguit corporis artus.
Sed tamen & molles non tantum vellicat aures
Aurum virginibus: nares quoque: fibula ab ipsis
Nexilis, & curuo dependet circulus vnco.
Has inter, pueri, atque viros, vt cuique libido est,
Immisti veniunt alacres, dextrisq; parentum
Impliciti cursant. est vestis discolor illis,
Et crinale aurum: turbam mirantur, & omnia
Mobilibus spectant oculis, & nomina quaerunt.
Ecce autem vario dum feruent agmina motu,
Dum resonant clamore viae, praeterq; meanti
Atque iter hortanti turbae, sonus occupat aures:
Praeco abit, & longe proclamans voce canora
Terribili monitu horrificat: nam flectere gressum,
Eq; via media spatium concedere plebem
Brachmanis Nairisq; iubet. communis vtrisque
Maiestas, similes fastus, moresq; superbi.
Vna est Brachmanis sacrorum cura, deumq;

Stirpis ab exortu: sunt illis linea fila
E collo latus ad medium connexa: tiara
Stat capiti, lataeq; fluunt e corpore vestes,
Quas laeuo ex humero nodo labente retorquent.
At Naires, regale genus, deuotaq; forti
Pectora militiae, si vulgus forte videndum
Se ferat, esse fremit culpam vel caede piandam,
Ni fuga subsidio subeat, vacuumq; relinquat
In medio plebs iussa locum, vel limite cedat.
Ipsi autem seu bella tonent, seu fracta quiescant,
Arma ferunt, harpen dextra, cetramq; sinistra.
Falcatus namque harpe ensis, sed cetra lacerto
Inseritur, pectusq; tegit: sine talibus armis
Non acies ineunt Indi, non proelia tentant.
Ergo iter ad templum (cuius iam limina sertis
Sparserat, & laeta velarat fronte sacerdos
Pingue addens oleum) diuersis partibus omnes
Accelerant, vinctiq; comas, & veste decori,
Vastaq; confuso complerunt atria coetu,
Ducturi pompam, pars & spectare parati.
Nec mora Cercopides caecis egressus ab antris
Intonat horrendum clamans, & cedere cogit,
Nam iubet ad patrios conuentus quemque reuerti,
Iactet opes vt quisque suae non immemor artis
Agmine partito, & variet spectacula pompae.
Et tandem e templo festam expectata per vrbem
Pompa ruit: neque enim lento procedere gressu

Mos finit, at trahitur magnis clamoribus acta:
Nec tantum furit horrificis plebs concita monstris,
Sed genus antiquum procerum bacchatur: & ipsi
Linigeri & Naires: nec quemquam ex agmine tanto
Inuenias, qui non lymphata mente vicissim
Cantet, & exultet quatiens caput: orgia Baccho
Thyadas audito tales duxisse putaris.
Et si certa suas distinguunt agmina turmas,
Ordine quas eodem matres, pueriq; sequuntur:
Nec genera, aut generum mores miscentur, & artes.
Primus init pompam pastorum coetus: eunti
Buccina dat signum, reboant clamoribus aurae,
Tectaq; festiuo responsant omnia plausu.
Nec procul hinc sequitur quicumque aut retia tendens
Squamigerum pecori, aut escam fallacibus hamis
Occultans, tacito captauit in aequore pisces.
Hic autem pars aera ciet, pars, tibia dulces
Dum leuibus fundit digitis pulsata querelas,
Pernici glomerat sublimem corpore saltum:
Pars etiam mistis vlulatibus aethera complet,
Pulsa quibus vicina palus collesq; resultant.
Tertius ingreditur venator, terga ferarum
Indutus capiti: & raucum dant cornua cantum.
Proximus agricolum chorus est: hi compita circum
Immensum sine fine fremunt, & sidera laetis
Cantibus, & digitis feriunt caua tergora tauri,
Perq; leues agitant saltantes corpora motus.

Tum

Tum vero haud pauci procedunt ordine longo,
Queis vitam varias inopem tolerare per artes
Est labor, & tenui natos educere quaestu,
Durum opus: ipsi etiam violenti signa furoris
Dant linguis simul & pedibus: nam garrula dicunt
Atque pedum vario modulantur carmina pulsu:
Et sonitus tamen interea miscere canoros
Et tenues grauibus tinnitus addere bombis.
Cymbala non illic, non nablia, non vaga desunt
Tympana, non litui, non sistra, atque ictibus aera
Percussa assiduis: non quae flatu organa dulcem,
Quae digitis dant pulsa sonum, seu flectere cantum,
Seu valeant mulcere aures, siue addere vires
Mentibus. Hoc certo discurritur ordine pompae,
Et choreae, & plausus. Currus venit inde superbus,
Cui sex terribiles axes subiere rotarum
Aere renidentum: visenda hic turris in auras
Tollitur ex hebeno, varijs interlita gemmis,
Et multa perfusa auro pendentia circum
Lumina sidereas fulgent imitantia flammas,
Nocte vbi sub media purus circumstetit aër.
Plurimus in summo diuum grex insidet axe,
Ora nefandarum referens ac monstra ferarum,
Qualia cum multis se se ostendere, ferebant,
Cum struerent fraudem, vt stultos si forte iuuarent
Rebus in exiguis, in magnis fallere possent.
Ipse autem sedet in medijs latrator, & anguem

Submit-

Submittens, tigrim extollens, supereminet omnes:
Ardentesq; oculos intorquens, conijcit ignem,
Et vehitur mole ingenti. Nam fune reuinctus
Multiplici trahitur currus certamine magno
Brachmanum, & Nairum: hi magna cinxere corona
Turrigeram pompam: connixi & pectore toto,
Perq; vices manibus nexis ducuntq; trahuntq;
Testantes sudore deos: it machina monstris
Feta feris, monstrum infelix, casumq; minatur,
Dum tremit, ac terret. Pompa vectatur eadem
Funerea humana laetantum caede, deorum
Victima. Nam miseri quidam caeciq; furore
Impositi curru veniunt: hi pectora nudi
Explorant gladio fibras, & corporis artus
Distringunt acie, ferrumq; immergere gaudent,
Vt sanguis sine fine fluat, taetriq; coloris
Flumen agat caesis discurrens vndique venis,
Lentaq; per plures erumpat vita meatus.
Nec minor illorum rabies, qui corpora diris
Subiecere rotis cupidi, per strata viarum,
Et laceros artus viuoq; madentia tabo
Viscera, relliquias veluti liquere deorum,
Pro quibus insano pugnat plebs nescia raptu.
Illi etiam simili decepti errore nefandis
Instincti furijs, simili dignantur honore,
Qui magni in foribus templi, radijsq; columnae
Districti pendent, & ducunt funere vitam.

Insi-

Insipiens tantum Indorum sapientia : tantum
Impia relligio potis est suadere malorum.
Talis erat pompae species abeuntis, & inter
Tot motus incompositos, tot carmina, & inter
Tot coetus, vario miscentis cuncta tumultu.
Illum augent, quicumque vias, & tecta columnasq;
Obstruxere senes, puerіq;, ignobile vulgus,
Et matres, quibus aut vires, aut mollior aetas
Inuidet officium, aut studio propiora tuendi
Singula, ab vrgenti visum est secedere turba.
Iamq; cauas illic densi obsedere fenestras,
Hic tumulum capiunt, hic celso e uertice templi
Praecipiti spectantq; loco, clademq; pericli
(Plena gemunt, nutantq; adeo sub pondere tecta)
Nil metuunt : tanta est visendi cuncta cupido.
Laudibus interea, & votis, iactuq; rosarum,
Mollibus & violis calthaq; crocoq; rubenti,
Haud cessant placare deos, & sternere terram,
Ante locum quem quisque tenet, quacumque citato
Progreditur cursu currus, laßusue resedit :
Tunc etiam ingeminat clamor, comitumq; cohortes
Omnibus instigant studijs, & brachia tendunt
Orantes, turrimq; manu contingere certant.
Illa subit medias praeter quae pluribus arae
Emicuere locis : hic incenduntur odores,
Hinc etiam efflantur : tellus conspersa recenti
Flore auram, impositi vim turis suscitat ignis.

Et tandem ut visi magnos acuisse furores,
Ac diram sparsisse luem, taetrumq; venenum
Inspirasse nigri volucres, quos Phorbus ab Orco
Excierat, sociosq; doli, scelerisq; ministros:
Ipsaq; iam totam circum raptata per urbem
Pompa: & currendo fessi, fessiq; trahendo
Ductores simulacra deum, cum sole cadente
Oceano longam tellus induceret umbram,
Sistitur ante aedem vario clamore frementem.
Et iam fama volans pernicibus incita pennis
Salsethim, pagosq; omnes atque oppida complet,
RODVLPHVM, *& socios, magna comitante caterua*
Ad Cortalinam vicini littoris aedem
Venisse, ut nuper genitis infantibus indant
Lac tenero sincerum ori, & pia saecla propagent.
Extemplo socij, quibus in Salsethidis ora
Credita templorum cura est, cum lumine primo
(Et via non longa est, nec tardis passibus iter)
Conuenere omnes, laetosq; amplexibus arctis
Excipiunt fratres, ipsum magis omnibus unum
RODVLPHVM, *& longum cupientes ora tueri,*
Laetantur saluum, & gaudent rectore recepto.
Quos inter, bona laetitiae cum signa quierunt,
Ac iussi positis circum se sedibus omnes
Composuere patres, medius simul ipse resedit,
Praefatus superos AQVIVIVIVS, *haec ita fatur.*
O socij, quos unus amor pietatis in unam

Adductos

Adductos mentem, diuerso ex orbe coëgit,
Et procul a patria incertis regionibus egit
Ire viam, vt profugos superam reuocetis ad vrbem,
Et miseris Indorum animis, qui tempore longo
Nocte sub obscura ingenti caligine mersi
Mortem inhiant, CHRISTI *monstrantes lumina, vestri*
Corporis exitio possitis ferre salutem:
Scitis vt in tenebris lumen praepandere vestrum est,
Et lucere igni assiduo, sed deficit vsu,
Et nigrum glomerat languens ad sidera fumum
(Vt natura omnis labenti frangitur aeuo)
Flamma, nisi iniicias siluas, apteq; ministres
Pabula, prospiciens, vt lucem suggerat ignis.
Iam quod abit, reuocare decet: nec tempora desunt,
Aut modus, aut ratio: namque hunc IGNATIVS *ignem*
Ille humilis nostrae gentis decus, & pius auctor
Illustrare parans, mortalis commoda vitae,
Illum inquam DEVS *e caelo quem detulit ignem,*
Vt micet, & viuas iaculetur in orbe fauillas,
Parte aliqua, vt valuit, nobis commisit habendum,
Cunctaq; solicite seruari in tempora iussit:
Vt leuis internas exurat flamma medullas,
Et quisquis lucem conspexerit, excitus illa,
Gaudeat, & sacrum labefactata per ossa calorem
Concipiens, laudet lucisq; ignisq; parentem:
Nam DEVS *est ignis, lux & clarissima mundi,*
Quae mediis lumen iacit indeprehensa tenebris:

Et tamen, heu facinus, furtiq; & fraudis amantes
Lux quibus inuisa est, properant se condere in vmbras,
Quas non vlla dies, sed nox aeterna sequatur.
Haec memorans, vultum lacrimis suffundit obortis,
Et dulcem socijs lacrimarum instillat amorem.
Tum super haec addit. lucisq; ignisq; fouendi
Haec ratio est, annus quam bis fert ductus in orbem:
Nam quoties redeunt bis ternis mensibus actis
Solstitia, ac referunt diuersi lumina Solis,
Tunc semel atque iterum deuoti pectoris aram,
Qua lucem aeternam, vigilemq; sacrauimus ignem,
Instaurare iuuat, cineriq; occurrere, caeco
Aggere ne lucem impediat, flammam ue retardet:
Sed noua materies, & lucem imposita cadentem
Exerat, & labi metuentes suscitet ignes.
Nunc adeo tempus quoniam sic admonet, & res,
Nec vos abnuitis, certum est semestria sacra
Perficere, & votum renouare ex ordine foedus,
Crastina cum primos Aurora induxerit ortus.
Vos agite, & tantis quae sunt accommoda rebus
Cuncta parate animis, & sanctum poscite numen.
Haec rector primum edixit: nec sacra morantur
Iussa patres: tacitus se quisque in tecta recondit,
Et quantum reuocare animo, curaq; fideli
Consilium & dictum & factum valet omne, per anni
Dimidium, relegit sollers, ac mente recenset,
Si quod erat, licet exiguum, quo iura, fidemq;

Transi-

Transiliens, hominem potuit laesisse, DEVM ue:
Aut etiam si quod praesens in tempus omisit,
Praeterita illacrimans aeuo, certusq; futuri:
Quod si qua interea (quae magna est gratia magne
CHRISTE *tibi) nec noxa grauat, nec taetra remordent*
Crimina, nec se animus commissi conscius angit:
Vt potior mos est (nam vera haec vita piorum)
Pectoris explorat latebras, si forte situm quem
Obduxit, si qua infecit labecula mentem,
Abstergere parans fletu, & sermone salubri.
Inde ubi quisque suum directo examine visus
Expendisse animum, ac sensus intrasse latentes,
Deiectis ad terram oculis, tinctusq; pudore
Sponte sacerdotem supplex adit: hic submittens
Genua, petit terram, & ter noxia pectora tundit:
Atque hominem venerans CHRISTI *sublime gerentem*
Officium, coram manifesto iudice, se se,
Et culpam agnoscens, aperit, veniamq; precatur.
Quin etiam de more illa ieiunia luce
Indicta, & nudata graui sub verbere terga
Adducta crepuere manu, tortoq; flagello,
Et bona plus solito pars noctis ducta precando.
Interea surgens fulgentem lampada terris
Aurora extulerat, caeloq; extinxerat ignes.
Itur in augustum templum. nam pulsa repente
Ad templum accierant notis tinnitibus aera,
Quae veniente die, quae decedente, iubebant,

Nec non & medium cum Sol confecerat orbem,
Admonitu terno, toties iterare salutem,
Quam MARIAE *dixit, caelo cum missus ab alto*
Nuntius, aeterna fore dixit prole parentem.
Hic aram circum submisso poplite fusi,
Sublatis manibus sacra inter (rite precando
Quae fert aetherio regi conspectus in ostro
RODVLPHVS : *cum sanctam orat cupientibus auram*
Allabi, mittiq; polo spirabile lumen)
Testati MARIAM, *& caeli quas templa receptant*
Felices animas. Superum tibi maxime rector
Deuouere omnes, contentam paupere cultu,
Et thalami expertem turpi sine crimine vitam,
Semper ab alterius nutu pendere paratam.
Namque hic perpetuus vota est iterantibus ordo:
Quisquis vt in socios admittier optat IESV,
Idem oret constantem animum, coeptiq; tenacem,
Atque agere acceptis omnes sub legibus annos.
Circumstant properi aligeri, laetiq; supinas
Conspiciunt purasq; manus, & vota precantum,
Turea dona velut plena inferrentur acerra,
Excipiunt, vapor vt celsas volet altus ad auras,
Et grato superum mentes contingat odore.
Post vbi diuinis epulis mens rite refecta est,
E templo cessere omnes, vt corpora curent,
Et laeti celebrent parcae conuiuia mensae.
Ingressiq; manus lympha lauere recenti.

Nec quisquam assedit, ni postquam in vota vocarunt
Voce DEVM, *qui dextram aperit, praebetq; diurnam*
Tempestiuus opem, cunctisq; animantibus escam:
Illum orant pius vt faueat: praeit ore Sacerdos,
Alternis alij precibus quem deinde sequuntur.
Tum vero sedere omnes. RODVLPHE *ministras*
Ipse dapes cinctus candenti sindone, & Inda
De nuce deductos succos ceu uina reponis.
Haec inter, dum quisque silet, de more vetusto
Stat iuuenis, veterumq; legens monumenta virorum
Attentas reficit meliori nectare mentes.
Hic postquam compressa fames, gratesq; relatae
Pro meritis rerum auctori, qui munere castam
Pauperiem ditat iustus Pater omne per aeuum.
Horam post epulas curis animisq; leuandis
Quae dicta est, vario patres sermone trahebant.
Nec minus interea laetanti ex vrbe frequentes
Conueniunt proceres, quorum pars magna benignos
Audijt ante DEI *monitus, pars applicat aures*
Nunc primum, veterisq; parat contagia culpae
Eluere: his studijs, sacrisq; exercita rebus,
Aspicere ante alios, ipsumq; audire loquentem
RODVLPHVM *cupit, & dictis accendere amorem.*
Agnouere illos socij quae causa tulisset.
Hoc magis intenti RODVLPHVM *multa rogabant*
De Mogorum rebus, tulerit quos ipse labores,
Et quas insidias effugerit. Immo age nobis

A primo,

A primo, PACECCVS *ait, dic tempore, qualem*
Expertus regem, ac gentem: nam tertia dudum
Te rigidos inter populos, malefidaq; regna
Quemlibet ingenti durantem mente laborem,
Nec dubitantem vllam pro CHRISTO *occumbere mortem,*
Omnia per uitae discrimina, viderat aestas.

FINIS.

FRANCISCI BENCII

QVINQVE . MARTYRVM LIBER . QVARTVS

TALIBVS ALPHONSI *dictis immota tenebat*
Obtutu tacito RODVLPHVS *lumina, secum*
Multa putans illos quae iam transacta per annos
Dum Mogores tentasse iuuat: nec facta recenset
Ipsa libens; quae vitae olim melioris & aeui
Tantum auidus, non vlla hominum spe captus inani
Texerat, vt diuinae essent modo cognita menti.
Vt tamen assensu simili studioq; rogarunt
Cuncti eadem, & magnum videt affluxisse piorum
Discendi studio CHRISTI *mysteria coetum,*
Haec secum repetens, quae non audire voluptas

Sit

Sit leuior fortasse animis, sed cognita prosint,
Tot victus precibus: Faciam quod quaeritis, inquit,
Quaeq; adeo cupitis, quantum concessa loquendi
Tempora permittent, delibans singula, carpam.
Tum sic ingreditur. Gelidas hinc spectat ad Arctos
Qui medios Asiae fines Riphaeïaq; arua
Diuidit obiecto longi discrimine valli,
Arduus, & niuibus, ventis & creber Imaüs:
Quosq; facit geminos deuexus, prospicit Indos:
Namque supercilio, sublimi & vertice montis
Fontibus ex ijsdem partes finduntur in ambas
Hinc, illinc, gemini sinuosis flexibus amnes,
Et se diuersa penitus regione ferentes
Agmine praecipiti magnum labuntur in aequor.
Huic nomen Ganges, huic Indus: nomina terris
Hic fluuius, dat & ille suis: sic India fertur
Gangem intra, Gangemq; extra, & discrimine tali
Contrahitur regio, latis quae finibus errat
Multorum regum imperijs seruire coacta:
Quos inter leuis incedit discordia motu
Saepe graui, dum quisque suos producere fines
Longius, atque alium certat depellere regno.
Quandoquidem (heu miseros) maiori ex parte nefandis
Addixere sacris animas, CHRISTVM*q; perosi*
Monstrorum haud metuunt varios defendere ritus.
Interior quamquam magnam nunc India partem
Echebaro paret, terrisq; animisq; superbo,

Echebaro

Echebaro Mogorum regi, quo ditior alter
Finitimos reges inter, vel fortior alter,
Aut valido magis, aut porrecto corpore regni
Indorum hac vasta non est qui regnet in ora.
Ille quidem patrios ritus moresq; suorum
Persequitur demens (nam Tamerlanus, vt aiunt,
Qui victor captiuum adeo desaeuit in hostem,
Illi quintus auus) legesq; a stirpe receptas
Et Mehemetaeae vanissima numina gentis
Aut colit, aut simulat, vult & coluisse videri.
Idem etiam, an veri, an quodam nouitatis amore,
An tali vt potius praetextu posset amicos
Dicere Lysiadas, bellumq; inferre propinquis,
Quos petit excidio, CHRISTI *pia sacra Fidemq;*
Et veteres voluit cultus cognoscere nostros.
Ergo oratores Goam mittebat, ad vrbis
Sacrorumq; patrem, & toti qui praesidet orae
Rectorem populorum inuicti nomine Regis:
Quin patres etiam ad nostros, mandata ferentes,
Inq; sua e nobis non nullos regna vocantes,
Qui CHRISTI *monitus, vitamq; ex ordine pandant.*
Nec mora (nam visus non aspernanda precari)
Tres lecti e socijs, sensum qui principis omnem
Explorent penitus, summi & praecepta parentis
Edoceant, si forte queant extollere lumen
E tenebris, caeliq; viam monstrare petenti.
Ac MONSERRATVS *primum est* ANTONIVS: *illi*

Adiunctus, Persesq; domo, linguaeq; peritus
Arabiae, insignis vera pietate, fideq;,
FRANCISCVS, *veteri* ANRIQVAE *cognomine gentis.*
His socius dictante DEO, *sum tertius ipse*
Additus. Hoc numero, paucis comitantibus, omnes
Vadimus ignotam in terram, externaeq; tenemus
Gentis iter, freti diuino numine, & ipsam,
Post varios casusq; viae magnosq; labores
Luce quaterdena exacta deuenimus vrbem:
Rex vbi nos cupide dudum expectarat, ab ipso
Discessu, vt perhibent, nostro, spatioq; locorum
Tempora dinumerans. Vix vrbem intrauimus, & nos
Ipsius admonitu iubet alta in limina cogi,
Et laetum aspiciens, sermone affatus amico,
Spem facit, vt liceat bene iam confidere coeptis.
Spes fallax ac vana fuit. cognouimus illum
Aut simulantem animo, aut caecis erroribus actum,
Ac tenebris, patrias veritum contemnere leges.
Sic frustra quae mens refugit, verba accipit auris.
Tres adeo hic versor completis mensibus annos,
Solus ad extremum: Goam reuocatus ad vrbem
Me FRANCISCE *prior, quem* MONSERRATE *secutus,*
Dum decus hoc aeui, columenq; insigne PHILIPPVM
Pollentem regno atque opibus sibi iungere certa
Quaerit amicitia, certumq; exposcere foedus
Cogitat Echebarus, ipso mittente relinquis.
Tempore in hoc omni Mogorum rex plurima laetus

Exquiritq; auditq;, piae quae munera vitae,
Quaeq; DEVM *illustris pietas tot adire labores*
Impulerit, quae sint meritorum praemia, quae sit
Vltima iudicij merces, saecliq; futuri.
Saepe equidem longus sacris de rebus habetur
Dum sermo, aestiuos memini nos condere soles,
Hibernasq; etiam in lucem producere noctes:
In quibus haud ponam memorandis tempora: nam si
Aggrediar, quis finis erit? Nunc omnia quando
Haud memorare vacat, rerum fastigia summa
Persequar, & seriem sermonum incidere pergam,
Pleraque sic narrans, vna vt si cuncta fuissent
Gesta die, atque vnus sermonem duceret ordo.
Non ego, non, fraudem coeptorum munere tali
Magnanimos socios: pars magna his debita: sed nunc
Omnia miscentur pariter, ne plura fatigent
In partes diuisa suas, sensum ue retardent.
Namque omnes operi instamus, regemq; monemus.
Ille autem (quae prisca fides Mehemetis alumnis)
Ex ineunte aeuo, diuino numine cuncta
Venisse e nihilo, vt vita potiantur & aura,
Atque hominem limo formatum credit ab vdo:
Esse animas hominum aeternas, quibus ordine recto,
Pro meritis, certiq; loci sedesq; parentur.
Quamquam etiam a vera hic longe ratione vagatur
Delicias luxu turpes, & foeda piorum
Gaudia, & instructae ponens conuiuia mensae.

CHRISTVM *idem carum esse* DEO, *vatemq; supremum*
Praedicat, & magno matrem dignatur honore.
Sed stultus negat esse Deum, mendacia fingens
Quae Mehemetaeis insanus suggerit error.
Hinc omni sermone duplex me cura tenebat
Noctes atque dies, Mehemetem abolere nefandum
Vt possem, & CHRISTI *sensim praeuertere amore*
Amentes iamdudum animos, vesanaq; corda.
Ergo ad se cupide nos intra tecta vocatos
Consessu in medio procerum magnaq; corona,
Multa super CHRISTO *rogitat, legesq; laboresq;*
Audire exposcit: quibus vt sine fine modoq;
Narrandis via ne deesset, sed lucidus ordo
Omnia digereret, breuis & per singula sermo
Iret, & attentas complerent credita mentes:
Primum mente DEVM *tacita veneratus, amicum*
Numen vt iniiceret cordi, linguaeq; loquenti,
Rex placidas ne dicta neget demittere in aures:
Vt tandem tacuere omnes, his ora resoluo.
Magnarum Rex magne agitas mysteria rerum,
Cum CHRISTI *vitamq; iubes, legesq; profari:*
Nec possim: quis enim paruo comprehendere vitro
Audeat Oceanum ingentem? sed grata voluntas
Ista mihi, & laetus non mollia iussa capessam,
Quantum eniti animo, & dabitur contendere vires:
Ipse reget vocem omnipotens: tu commodus aures
Huc adhibe, & mentem dictis aduerte benignam:

Afferet

Afferet hic aliquam sermo fortasse salutem.
Quod si qua interea vero maiora fideq;,
Humanam superare aciem lumenq; videntur,
Ardua suspensam ut teneat sententia mentem,
Ceu firmae rationis egens, lucemq; requirens:
Mortali ne posse puta immortalia cerni
Ingenio. Satis alma fides. Rationis abunde est,
Si pateat, quae cuncta potest aeterna voluntas.
Quod si oculis diuina velis arcana tueri,
Opprimat, & summus praestringat lumina fulgor.
Hinc ergo incipiam. Scis ipse, & scire fateris
Auctorem rerum esse DEVM, *qui cuncta gubernat*
Vnus, ab vnius dependent omnia nutu.
Ipse vnus, quoniam diuina essentia simplex
Personis atque vna tribus, vigor omnibus vnus
Et par maiestas ollis, ac summa potestas.
Humanum talem esse animum fortasse rearis:
Simplex ille quidem, at triplicem vis ipsa videri
Officijs diuisa facit, meminitq;: videtq;:
Et iubet: & se toto agitans in corpore miscet.
Nam PATER *(vnius personae hoc nomen) ab aeuo*
Omni se inspiciens, fecundo pectore natum
Ipse sibi similem genuit virtute paremq;:
Ignis vt ex igni exoritur, de lumine lumen.
Hinc genitus perfecta viget genitoris imago.
Hoc VERBVM *omnipotens veteres dixere magistri,*
Dum terram instituunt, & caelo digna loquuntur:

Aequae-

Aequaeuumq; PATRI, *per quod sunt omnia primum*
Condita, quo sine, laetifici nil lumina Solis
Aspicit exortum: rerum hinc genitalis origo est.
FILIVS *(alterius personae hoc nomen) amico*
Respicit immensi deuinctus pignore amoris
Obtutu genitorem: illum PATER *ipse vicissim*
Aspicit, irriguo iactans e lumine amorem:
Alter & alterius dum spectans lumina visus
Pascit amore auidos, ea (mirum) lumina vtrinque
Obuia committit conspirans mutuus ardor.
Nec mora: inardescit (persona ea tertia) SANCTVS
Hinc atque hinc pariter emanans SPIRITVS: *illis*
Nec spatio, nec honore minor: Natum ille, Patremq;
Concordes stabili factorum foedere vincit:
Semper & e geminis idem nouus emicat ignis.
Sic forte vt speculum suscepit lumina Solis,
Inde retro flexum lumen, radiosq; flagrantes
Coniicit, opposito accendens in vellere flammam.
Nulla tibi species, nulla obuersetur imago
Rerum quae feriunt oculos, & corpore constant,
Cum menti subit ipse DEVS: *caeli ardua templa*
Fas penetrare animo: hic puram sine corpore mentem
Aspectu procul a nostro sensuq; remotam
Contemplator eam, quae rerum est vna creatrix
Forma DEI, *& formas rerum supereminet omnes,*
Immortale agitans aeuum, nihil indiga nostri.
Quandoquidem (vt tulit haud vllo cogente voluntas)

Sponte

Sponte sua e nihilo & tenebris existere iussit
Omnia, quae visum attingunt, mentem ue lacessunt,
Quaeq; supra, quaeq; infra habitant viuentia caelum.
Ipse igitur DEVS, *vt voluit (namque omnia quo sint*
Est ipsum sat velle DEVM: *immutabile pondus*
Illius in verbis, & vocem facta sequuntur)
Dixit, & a tenebris lucem disclusit, & orbem
Condidit, vt proprio considat pondere tellus,
Quam circum glomerentur aquae, supra enatet aër,
Et procul abscedens longa regione feratur,
Omniaq; extento caelum comprendat amictu,
Aetherium caelum, & mundi versatile templum.
Ille simul iussit, viridi se gramine terra
Vestijt, & vario depinxit prata colore,
Nec minus & nitidas fruges effudit, & altis
Vndantem arboribus siluam, fetuq; grauatis:
Vnde simul fructus, simul & genitalia crescant
Semina, & aeternum frondentia rura propagent.
Et nihil vt deeßet decoris, pater optimus auxit
Caelum sideribus, mare piscibus, aëra pennis,
Immisitq; feras siluis, & muta animantum
Agmina, quam varia specie, tam corpore, & armis.
His super, informem limoso glutine maßam
In mollem effinxit speciem: cui viuere iussae
Esset vt artifici similis, decus addidit ori
Pulcher, & afflauit vitae spirabile lumen:
Hinc caput extollit: iucunda hinc vescitur aura

Insignis

Insignis facie iuuenis: Virgo additur ipsi,
Et comes accedit lateri: pulcherrima vtrique
Forma, DEO *propior, diuinae & mentis imago.*
Queis etiam in nemus vmbriferum, sedesq; quietas
(Quattuor in partes vitreus quas irrigat amnis,
Et placido spirans interstrepit aura susurro,
Ver vbi perpetuum) adductis, laetissima ruris
Otia, & aspersis viridantia floribus arua,
Atque auibus passim fontes siluasq; canentes
Tradidit, vt possent liquidi prope fluminis vndas,
Qua se lucus agit, securam ducere vitam,
Et facile excolere hos fines, regnumq; tueri.
His quoniam & generi, in terras, pontumq; profundum
Detulit imperium: genus ipsis omne ferarum
Alituum, & pecudum, pelagiq; immania cete,
Et tellus quas ferret opes, parere coëgit.
Et facerent: illis si mens non laeua fuisset.
Sed postquam insidijs, infestiq; arte draconis
Tentati, captiq; dolis, ex arbore fetus
Non veriti audaci vetitos decerpere dextra,
Atque inconcessas epulas absumere: ab illo
Gens hominum infelix, alto de culmine labi
Instítit, aut potius longe collapsa ruinam
Horrisono dare cum gemitu, & procumbere late.
Hinc labor, hinc maeror, curae hinc velut agmine facto
Incubuere animis, & iniquo turbine caecos
Addentes stimulos, mortalia pectora versant:

Nec

Nec non & vesana fames, & turpis egestas
Corpora, & exangues tenuant pallentia morbi:
Semotiq; prius leti vis tarda propinquum
Corripuit spatium: nec quicquam deinde malorum
Innatat in terris, quod non ceu riuus ab illo
Fonte fluat: meritam diuini iudicis ira
Aequior exposcit poenam: offendere parentes
Fortunatorum nemorum de sedibus acti
Cum sacros hausere cibos, sed triste venenum
Nescia posteritas, alienae obnoxia culpae
Imbibit, & patrum referunt conuiuia nati.
Hinc ea prima mali labes, hinc improba pestis
Insedit uenis, & tabo plurima fluxit,
Inficiens homines: hinc illaetabile vulnus
Inflictum est animo, cui non vis vlla mederi,
Non ars vlla hominum possit: sub fomite gliscit
Mortifer attactus: descendit corpore toto
Serpentis furiale malum, viresq; latentes
Sensibus insinuat tacitis, & crescit eundo.
Ac, ne forte putes finitos morte dolores:
Supplicium in tenebris grauius, Stygijsq; lacunis
Maerentes hausere animae, luctumq; trahentes,
Heu, praeclusa quibus stellantis ianua olympi,
Et veniae spes nulla esset, via nulla salutis.
Quis miseri cladem generis, quis funera fando
Explicet, aut animo comprendat? Maesta iacebat
Vita hominum mortem exoptans, longeq; beato

N Conspe-

Conspectu semota DEI : *qua mole malorum*
Debita soluebat maculosae praemia mentis .
O pater, o proles hominum, o gens inclyta, magni
Fingebat quam dextra DEI , *caelumq; iubebat*
Sperare, & pulchrum vitae immortalis honorem .
Huccine tam munita olim, labefacta ruit res ?
Hanc noctem, has tenebras, prior, obscurata dedit lux ?
Tu stirps prima hominum, caput horum & causa dolorum,
Tu genus omne tuum, & natos facis esse nocentes .
His tu prima malis oneras, atque obijcis Orco
Agmina maerentum . Quod ni Deus ipse labores
Et casus hominum aspiceret, iam funditus actum
Esset, & aeternas poenas in morte luendum .
Ipse suum sed curat opus : miserebitur olim :
En prohibet iam flere . Tuis ex ossibus vltor
Nascetur, queat vt curis imponere finem :
Hic caput inuisum serpenti conteret, vt ne
Furtum ingens impune ferat : patriaq; fugatos
Restituet quondam, & reges in sceptra reponet .
Ille repertorem sceleratae fraudis, & artis
Eludet, frangetq; dolos, foribusq; reuulsis
Tartareis, miseram sobolem reuocabit ab vmbris,
Et vitam veniamq; feret mortalibus aegris .
Quamquā ego quid loquor? aut ubi sum? quo traxit euntē
Implicitus sermo ? Dixi, Nascetur : at ille est
(Mille anni ac prope sexcenti numerantur) ab alto
Missus, vt humano dudum quod pectore fixum

Vulnus hiat, medicaq; manu, ſuccoq; ſalubri
Curet, & integrae redeant in priſtina vires:
Quin etiam vt mala quae ſerpunt contagia terris
Comprimat, & caeli poſſit ſarcire ruinas,
Sponte hominum vitam accepit, noſtrosq; labores
Sponte ſubit, dulciq; animum labefactus amore
Se duram dedit in mortem, culpamq; parentum
Abſtulit, & noſtras exoluit ſanguine poenas.
Hic vir hic eſt, ſibi quem promiſſum ſaepius orbis
Audijt, innumeros paene expectatus in annos.
Ipſe Deo genitus CHRISTVS *Deus: ipſe hominum rex:*
Ipſe auctor vitae terris fuit: ipſe ſalutem
Attulit afflictis longinquo tempore rebus,
Eq; ſuis nomen factis inuenit IESV,
Quod Pater impoſuit: nomen venerabile, ſanctum,
Aeternum, auguſtum: cui ſe caeleſtia: cui ſe
Auditu tremefacta nouo terreſtria: cui ſe
Dedant inferna, & collapſa in genua recumbant.
Namque tibi quae falſa ſedet ſententia menti,
Quandoquidem quae vera rogas, & dicere cogis,
Excute, & vlterius pudeat ſpem paſcere inanem,
Rex, ſi qua eſt animo pietas, nec vana recurſent
Somnia, quae in varios torſere errantia ſenſus.
Haud fas eſt vlli certam ſperare ſalutem,
Ni CHRISTO *pandente viam, quae cognita ſolis*
Eſt nobis, quos ille ſuo de nomine dixit:
Si quis adhuc aliam, ſtultus quam parturit error,

Spem fouet amplexus, coeptum nec deserit amens,
(Dicam equidem haud metuens, quãuis responsa darentur
Aspera, & extremam iacerem cum sanguine vocem)
Ipse sibi sine fine malum miserabilis vrget.
Audite o regñi proceres, tuq; optime regum,
Mentibus haec imis, non tantum sensibus hauri.
Quae DEVS *ediderat terris, oracula fundo.*
VNA EST RELLIGIO, *Deus vnus, & vna lauacri*
Forma, pij cum sacro homines e fonte salubreis
Miscentes vndas, animumq; piantia verba,
Aspergunt caput, vt quae prima ab origine sedit
Ad viuum macula, & verbis purgetur, & vndis.
NI LYMPHA *eluitur, labem contraxerit atram,*
Quam nulla abstergat saeclis redeuntibus aetas.
HAEC VERA *est, haec sola Fides: licet horrida dudum*
Styx fremat, & strepitu insurgant fera monstra minaci.
Hic ego non vti longo sermone recusem,
Si sit opus: si quisquam audet se accingere contra,
Si quid habet, ferat in medium, nec dicere musset,
Numquam equidem effugiam, sed dicta aduersa refellam.
Vix ea fatus eram: vario cum murmure caecus
Auditur fremitus, voces imitatus aquarum,
Cum tolli incipiunt aduerso turbine venti,
Atque illisa cient fractos ad littora fluctus.
Crebrescunt taciti sonitus: nec dicere quisquam
Contra ausus, licet ira vocet. rex acrior obstat:
Ipse indignantes vultuq; & voce repressit.

Tum

Tum vero ad me alaeris, vocemq; & lumina vertens,
Perge, ait, & CHRISTVM *nobis edissere vestrum:*
Nec mens vlla hominum, nec vox contraria turbet.
Hic ego: Iam faciam fidenti pectore, quando
Praecipis, o bone Rex: quamquam, o, mihi talia praestet
Si DEVS, *& tanto dignum me reddat honore,*
Vt vitam liceat pro relligione pacisci.
Votorum hic finis: spes est haec vna laborum:
Quod mihi cum dederit, felici morte quiescam.
Nunc paucis, quae multa rogas, aduerte, docebo.
Ergo tam varijs tam lamentabile cessit
Supplicijs mortale genus: cum soluere poenam
Haud posset, super vt veteris vestigia culpae
Nulla forent, & libra pari cum pondere lances
Iustitiae ferret suspensas partibus aequis.
Ecquid enim finita hominum vis audeat omnis
Aeterno dominoq; hominum superumq; parenti
Irato fecisse satis? Non aequa ferebat
Condicio. Hinc laxas scelerum fundebat habenas
Vis Erebi, caeloq; datos poscebat honores
Sacra per, & turpes aras, simulacraq; diuum.
Quid memorem immanes ritus? & quanta per omnes
Monstrorum e stygijs certatim effusa cauernis
Tempestas ierit terras? En cernimus ipsas,
In regnis, Rex magne, tuis, Asiamq; per amplam,
Relliquias scelerum. Jam tandem discite veram
Iustitiam moniti. Missum ne temnite caelo,

Qui

Qui tulit aduenienscaelestia munera terris.
Nam Pater omnipotens, media qui mitis in ira
Dat fessis veniam, placatus sponte malorum
Esse dedit finem, pactiq; insigne tetendit
Foederis, vt rebus voluit succurrere versis.
Ipse tulit miseris aliquando optantibus vnum,
Auxilium aduentumq; DEI: *quando vnica proles*
Illa Dei, vt monui, DEVS *est: Deus aethere lapsus*
Virginis in gremium castae descendit: & illic
Induit vt nostros artus, moribundaq; membra,
Virgineum decus, & clausi penetrale pudoris
Non violat nascens, sacrat magis: omnibus illam
Filius insignem voluit praecellere rebus,
Vna vt muneribus superans est quicquid vbique,
Siue hominum, superum ue, Deo sit proxima, & vnde
Summus honos alijs, fundamina ponat honoris.
O felix vna ante alias Iessaeïa Virgo,
Cui Deus arridens blandae tulit oscula matri.
Humani noua lux géneris, quae ex omnibus una
Communis maculae afflatus non pertulit vllos,
Tristia nec metuit violenti iura tyranni.
Illud in his moneo, quemquam ne fallat, vt alto
Cum Deus e caelo terras adijsse iacentes
Dicitur, haud sedes superum caelumq; relictum
Esse putet: non ille suo de culmine cessit,
Vnde regit caeliq; vias, terraeq; labores,
Et cum Patre sedens pariter Deus omnia complet.

Sed

Sed quoniam humanis oculis DEVS *ante videri*
Non poterat, visum effugiens, & corporis expers,
Diuinam idcirco praetexens corpore lucem
Humano, voluit cerni, manibusq; teneri:
Quodq; fuit caelo aeternum, non desiit esse
In terris, cum vitam hominum culpamq; recepit.
Sic ferrum ignescit flamma, nec flamma recedit
Mota loco, ferroq; suam vim suggerit omnem:
Ignea vis totum collustrat lumine corpus.
Sic etiam iubar e summo Sol mittit Olympo,
Nec tamen exuitur, quo vestit lumine terras.
Quodq; magis mirere, hominem dignatus amicum
Consortemq; suum, mortali corpore sumpto,
Sic in amicitiam coijt, sic foedera sanxit,
Sic personae vni naturam iunxit vtramque,
Vt simul esse hominem simul & fatearis eumdem
Esse Deum: nec res hominem deducere possit
Vlla Deo, homini ue Deum. Tum effecta duarum
Formarum (nam forma duplex, naturaq; duplex
In CHRISTO, *quae neutra tamen confunditur) esse*
Vnius imperijs concordi a mente profecta
Ne dubita: veluti diuerso in cortice ramus
Si nouus inseritur, duplex vna arbore saepe
Fructus it, & geminum trudit nux vnica germen.
Hinc quae multa hominem vere ostendere, feruntur,
Multa etiam confessa Deum: tamen vnus vtrisque
Auctor erat CHRISTVS. *sunt &, quae plurima fando*
Enume-

Enumerare queam: sed nunc pro tempore tali
Pauca tibi e cunctis, valeam quo plura referre,
Persequar, & dubio te non sermone morabor.
Ille humili in stabulo dura ad praesepia natus
Noctem hiememq; tulit, vili vix tectus amictu:
Sed tamen aligerum laetantum examina caelo
Atque DEO *passim laudes, pacemq; canentum,*
Detulit in terras: vestroq; Oriente profectos
(A quibus, ah tandem, capiant exempla minores)
Ad noua cum donis rapuit cunabula reges.
Bethlemio hi caeli regem agnouere sub antro.
Illum etiam mater cum munere sistit ad aram,
Ac ueluti e multis vnum: sed suscipit illum
Vir senior, fuerat qui seruantissimus aequi,
Et magnum in paruo veneratus corpore numen,
Laetior hoc summo cumulatam munere, vitam
Nil fore iam quin linquat, ait, mortemq; precatur,
Et canit optatam terris venisse salutem,
Carmine dulcisono, quales iam morte propinqua
Albus olor tremulo diffundit gutture cantus.
Nec longum tempus: crudeles concipit iras
Infando cupiens quam primum extinguere leto
Infantem Herodis scelerata insania: frustra:
Nam puero, matriq; datum sociumq; fidelem,
Custodemq; pium, media sub nocte silenti
Admonet in somnis caelesti nuntius ore.
Heu fuge progenies magni generosa Dauidis,

Heu fuge crudeles terras, puerumq; tuere
Iam tibi commissum, praesentiq; eripe morti:
Herodis grauis ira tumet, caedemq; minatur.
Paruit ille DEI *monitis, regemq; reliquit*
Ne quicquam innocuo foedantem sanguine cunas,
Vt taurum vacuas ferientem cornibus auras,
Dum furit, & pedibus sparsam insectatur arenam.
Alter ab undecimo vix dum processerat annus,
Cum mater puerum amissum maestissima quaerens,
Consessu in medio procerum doctaq; corona
Ordine pandentem sacrata volumina iuris
Vidit, & inuentum gaudens ad tecta reduxit.
Iam quid ego & denis cum ter redeuntibus annis
Omnis vt impleret numeros iustissimus vnus
Iustitiae, vitreum refugi Iordanis ad amnem,
Lustrandum se homini DEVS *obtulit, & caput vndis*
Subijciens liquidis, sacrauit corpore flumen?
Quid memorem interea medium discedere caelum
Elapsamq; polo, diuino in vertice, pluma
Sithonias superante niues, sedisse columbam?
Hinc etiam rutilas ingens vox lapsa per auras
Terruit implicitos monstris, ac talia fatur.
Haec dilecta mihi proles, mea sola voluptas.
Hunc audite sacras promentem pectore voces.
Mitto ea quae quondam mortali lege ferentem
Aspera, & edentem populis miracula bruma
Tertia conspexit veniens: nunc denique totum

Sunt ea multiplici fama vulgata per orbem.
Ille famemq; sitimq; ferens, & frigora, & aestus,
Aerumnasq; hominum subijt, durosq; labores.
Ille quater denas aliquando ex ordine luces
Et pariter noctes egit potusq; cibiq;
Omnino expertes. Quoties super ardua montis
Culmina, cum clauso properaret vesper Olympo,
Aggressus placare Patrem, veniamq; precari
(Sed nobis: quid enim iusti, roget auctor & aequi?
Et qui nullo vmquam maculauit crimine mentem?)
Aequauit noctiq; preces, & vota rubentem
Protulit in lucem? Quoties non ille cubili
Sed nemoris iacuit dorso, gelidoq; sub axe
Turbauit somnos singultibus interruptis?
Ah quoties hominum miserans incommoda, nudis
Durum iter arripuit pedibus, Syriamq; peragrans
Solis & aestiui patiens, & pulueris, egit
Vitam inopem casus non indignatus egenos?
At parte ex alia vinum diffundere iussae
In vinum vertistis aquae: dapibusq; refecta
Plus iusto exiguis, hominum tot millia, solos
Per montes, vt relliquias vidistis, & vsu
Excreuisse dapes, voluistis dicere regem
Muneris auctorem, ni dudum prouidus ille
Se procul ex oculis nemorosa in lustra tulisset.
Quid mare iam memorem cum tempestate coorta
Cum spes nulla fugae nautis, propiusq; periclum,

Ipsius imperio posuit rabiemq; minasq;,
Et placidum a ventis immota constitit unda?
Quid cum etiam patiens oneris suscepit euntem,
Et siccas liquido suspendit gurgite plantas?
Rex, mihi se mare magnum aperit, ferar actus in altum,
Si flanti dem vela Noto: sed littora remis
Interiora legam, ut liceat succedere portu
Cum libet, & fessam terris aduertere proram.
Tu potes e terra innantis spectare laborem.
Ecquid enim iussas cessisse e corpore febres?
Obstructae quibus ante aures, deuinctaq; lingua,
Amissos rediisse sonos, & munera vocis?
Quid claudos referam plano velut aequore ceruos
Transiliisse fuga montes, camposq; patentes?
Ilicet haec videt, & visis stupet inscia turba.
Quid captos oculis longa post nocte nitentem
Quaesiuisse polo lucem, laetosq; reperta
Attonitis haesisse animis, circumq; tulisse
Lumina inexpletum varia dulcedine captos?
Dicam etiam prope depositis in limine leti
Omnia queis tentans nullam medicina salutem
Reppererat, subito miranti e corpore morbos
Depulsos, viresq; nouas in membra reductas?
An iuuenes quibus atra lues, immundaq; venas,
Et squallens crustis scabies exederat artus,
Turpibus exuuiis absterfos isse relictis?
An potius memorem extinctos, & lumine quarto

Horrida qui putri tenuissent membra sepulcro,
Inuisis caput e tenebris & faucibus Orci
Exeruisse: suis cum tam miranda tuentes
Vix oculis habuere fidem? sed visa coëgit
Credere res dubios, & praesens discere numen:
Quod simul intendit vocem, clausamq; vocauit
Inferna de sede animam, sensere cauernae
Tartareae superis praedam transcribere iussae.
Sed quid ego haec autem numquam euoluenda reuoluo,
Singula quae si quis numeret, numerauerit idem
Sidera quot caelum voluat, quot pontus arenas.
Cuncta fere socijs bis sex praesentibus egit,
Quos sibi delectos habuit, testesq; reliquit,
Ipsius vt totum ferrent mandata per orbem.
CHRISTVM *certe, aether, tellus, mare, Tartara, summum*
Agnouere Deum mortali tegmine septum.
Ille autem, vt superis homines coniungeret, omnemq;
Eximeret labem sceleris, quid liquit inausum,
Aut intentatum? demum, quia sanguine foedus
Firmandum fuit, & crimen commune luendum,
Haud animam renuit, quam pro mortalibus olim
Sumpserat afflictis, hanc pro mortalibus ijsdem
Ponere: sic Natus Patri se deuouet vltro,
Et paci medium se offert, vitamq; profundit.
Haud aliter vates turbantibus aequora ventis
Deiectura ratem, & nautas mersura sub vndis,
Ipse vnus ni sponte sua iactetur in altum,

Vnum vt pro multis pereat caput: Ibitur, inquit:
Me propter si saeuit hiems, striduntq; procellae,
Mittite me in fluctus, tumidoq; immergite ponto:
Non mora, proijcitur: proiectum corripit aequor
Fluctibus, & subita compostum pace quiescit.
Sed nunc quo rapior? quo rerum me trahit ordo?
Quo feror? infandam ne iubes, Rex maxime, caedem
Dicere, qua Solyme CHRISTVM *male sana peremit?*
Maius opus moueo: sit fas mihi numine magne
CHRISTE *tuo, miranda animis, nec mollia fatu*
Pandere, & acceptam terris tibi ferre salutem.
Ergo aderat promissa dies, quae triste piaret
Morte nefas, veterum culpam, & commissa parentum:
Quam non Isacides, non Tharae filius ante,
Non tam multa hominum potuerunt saecula culpam,
Aut vita insonti, aut sacris abolere litatis:
Cum rector tenebrarum omnem qui inuaserat orbem,
Et ferus audierat mortali e sanguine quondam
Venturum, genitumq; Deo, regna impia fortis
Qui ruat, & fuget iniusta de sede tyrannum:
Id metuens, CHRISTVMq; *timens, quem saepe petitum*
Victorem expertus gemuit, persaepe iubentem
Audijt, & vetito indignans de corpore cessit,
Voce palam testante Deum: licet haereat vsque
Nescius, & dubium versent contraria pectus:
Ipsum adeo insidijs, & multa callidus arte
Circuit, vt dirae valeat demittere morti:

Demens

Demens qui CHRISTO *quantum eßet robur, & illa*
Ipse sibi quantum strueret ratione malorum,
Nesciret, caecisq; vmbris immitteret ipsum
Luminis auctorem, qui praedam victor ab Orco
Iure triumphato caeli ad conuexa referret.
Omnia pertentat, magnaq; incensus in vrbe
Quaerit inops animi quos nigri felle veneni
Imbuat, & socios adiungat talibus ausis.
Et pandit res ipsa viam: nec tempore longo
Quaerendi comites. Furijs ingentibus acti
Consilium Isacidae CHRISTI *de rebus habebant.*
Stat ruere horrendum in facinus: stat tollere ferro
Inuisum caput: immani via proxima coepto
Quaeritur. Hic CHRISTI *e socijs se perfidus vnus*
(Quem tacito allapsu daemon peruaserat omnem
Vt primum argenti cupido spes certa refulsit)
Obtulit: & paucis. Quod si quem poscitis, inquit,
Prodidero, vestrasq; manus non fugerit ille,
Quid nobis mercedis erit? Nec magna petenti
Praemia, terdenos (quali o pro corpore) nummos
Isacidae pepigere alacres. Hinc captat Iüdas
(Hoc monstro nam nomen erat) tempusq; locumq;
Prodat vt infelix dominum nil tale merentem,
Nec tamen ignarum, aut tacitum ventura videntem
Ne quicquam: namque ille auri caecatus amore
Aurum animis inhiat, spe fuluum deuorat aurum,
Aurum auet, aurum ardet, promißo totus in auro est.

At CHRISTVS *supremae inter sollemnia coenae,*
Seruilem in morem calidis vestigia lymphis
Permulsit comitum, & niueo siccauit amictu,
Instituitq; dapes, & sacrae pocula mensae,
Qua DEVS *humano (o pietas) absumitur ore.*
Et tandem instantem sibi caedem effatus aperte,
Montis Oliuiferi, cunctis comitantibus (at tu
Proditor vnus abes) sedem de more petiuit.
Hic autem procul a socijs in parte reducta
Haud rerum ignarus, tristi cum corde volutat
Multa suo: & primum contempti iniuria Patris
Quae fuerit, qua noxa homines damnauerit auctor
Vltimus, & quantum scelerum commiserit ausis
Quisque suis, quae cuncta tamen conuersa fuissent
Vnius in caput, vt poenas expenderet vnus.
Tum quoque poenarum facies, saeuiq; dolores
Et necis infandae series longissima maestos
Solicitant animos: sociorum cura recursat,
Et scelus Isacidum, mens & furialis Iudae.
Omnia quae secum reputans, palletq; pauetq;,
Et penitus gelido soluuntur frigore membra.
Tum supplex manibus, duplicato poplite, vultu
Demisso, tales effundit ad aethera voces,
Quas facili Pater omnipotens non accipit aure.
O Pater, o genitor nati miserere precantis,
Et mortem hanc auerte: potes namque omnia: quod si
Ventum ad supremum est nobis, flectiq; voluntas

Fixa

Fixa nequit, iam nostra tuae sententia cedit,
Et tibi me penitus, prudensq; volensq; remitto.
Plurimus haec inter, toto de corpore sudor
Liquitur, & (mirum) roranti sanguine mistum
Flumen agit, terramq; nouo velut irrigat imbre.
Erubuit tellus, bibit & venerata cruorem.
Hic tandem iuuenis celso demissus Olympo
Astitit, & placida leniuit voce dolorem,
Et tristes animi curas. Hinc surgit, & ipsos
Maerore ingenti socios, somnoq; grauatos
Excitat, atque vltro sese quaerentibus offert.
Namque faces & tela videt, funestus Iüdas
Noctem addens sceleri, medijsq; in millibus ardens,
Quae rapit ad montem, & nemoris diuortia nota.
Et procul. O, quae causa viae? men' quaeritis? adsum.
Tollite me, at socios dimittite. Dixerat. illi
Conuersi cessere metu, & reuoluta dedere
Terga solo, simul ac standi permissa potestas,
Proditor (hoc signum dederat) praecessit, & ore
Oscula fert illi propius, blandeq; magistrum,
Heu scelus, appellans, simulata fronte salutat.
Nec latuere doli. Quo mens tibi deuia cessit?
Quid me fraude petis? mihi mortem haec oscula portant.
Ah quid agis? Nunc saltem istam, miser, exue mentem.
Haec Deus. at misero demens furor obstruit aures.
Ipse sui oblitus sceleri magis ac magis instat,
Et nutu hortatur socios. hi protinus armis,

Et

Et magno clamore ruunt, colloq; prehensum
Iniecta tenuere manu: nec defuit inter
Haec, PETRVS, *e* CHRISTI *socijs fidissimus vnus,*
Qui quamquam inualidus, mediaq; in morte tenetur,
Educto haud trepide gladio, quem forte gerebat
Vni e militibus secat aurem: decidit illa,
Inq; solo dominum multo cum sanguine quaerit,
Et micat, vt colubri desecta e corpore cauda.
Non tulit hoc CHRISTVS, *districtum condere ferrum*
Vagina iubet, & verbis castigat amicis.
Tum quo sana modo steterat, qua parte recisa est,
Aurem restituit, nec mansit foeda cicatrix.
Nec tamen hoc, illi non nectunt vincula palmis,
Abducuntq; virum. Pulsi hic formidine turpi
Discipuli fugere omnes per opaca viarum,
Per loca deserta palantes sola magistro.
Vt caeso pastore ouium grex deuius errat.
Ille autem solus, noctis turbante tumultu
Hostibus in medijs, trepidam raptatus ad vrbem,
Per fora, perq; domos trahitur: nam iudice coram
Haud vno iniusto indicio, nec testibus aequis
Sistitur, & tandem morti est addictus iniquae.
Sed quid ego hac memorem tulerit quot nocte labores?
Quot plagas? quot dicta ferae crudelia gentis?
Lingua haeret vocemq; negat, stupor opprimit ora.
Si mihi quot dudum horrentes riguere capilli,
Tot linguae, totidem ora sonent, non dicere partem

Possim vllam, vt dictis semper non plura supersint.
Et miranda magis videar quam vera profari.
Sed vos o carcer, nox & tristissima, testes,
Quam saepe indignis sonuistis vocibus, & quot
Verberibus crepuistis, &, o, quam saepe reuulsos
Diuini capitis crines, barbamq; cruento
Puluere deformem deuoluistis. Pro scelus ingens,
Rerum auctor, cuius iaculatur ab aethere fulmen
Dextera, & aequato terras examine librat,
Ipse DEVS, *rapiturq; agiturq; irrisus, & omnem*
Pellitur in partem manibus pedibusq; nocentum
Carnificum, qualis torto sub verbere turbo
Quem versant pueri, ludentes atria circum
Nunc huc, nunc illuc dubia vertigine fertur,
Donec ab inuito lux maesta effulsit Olympo
Vltima CHRISTE *tuo ingenti ventura labori.*
Conueniunt iterum Isacidae: captoq; paratum
Exitium properant: sed tunc Romanus, habebat
Regna, pater, Solymorum: & quemquam dedere morti
Ipsius iniussu leges & iura vetabant.
Huc primum trahitur populi certamine magno,
Multaq; in immeritum falsa atque indigna relatu
Insanis iactata odijs: agnouit amaros
Inuidiae stimulos Solymorum, Pontius (illud
Nomen erat Romane tibi) tum multa recusans,
Abnegat insontem crudeli opponere leto.
Illi autem contra infensi clamoribus instant,

Et

Et nisi victores fuerint, votoq; potiti
Velle negant, caeci, immani desistere coepto.
Quid faciat? qua vi innocuum, qua liberet arte?
Iamq; alij conatus erat transmittere causam
Iudici: at ille hominem vt sanae rationis egentem
Spreuit, & indutum despecta veste remisit.
Et vidit laetata cohors, & risit euntem.
Idem etiam quando laxari e sontibus vnum
Quem populus magis optaret, vinclisq; leuari
Luce illa sollemne fuit: iam crimine caedis
Damnatum, rixaeq; trucis, saeuiq; tumultus
Auctorem, an potius CHRISTVM *dimittere vellent,*
Quaesiit. hi CHRISTVM *spreta pietate repellunt*
Ignari sceleris merces sit quanta futura.
Nulla viam consulta regunt: auersa voluntas
Caeca fremit populi, procerumq; incensa libido.
Ergo vbi nec niti tantum, nec tendere contra
Sufficit, imprudens aliam se vertit in artem:
Nudari sacra membra viri, caediq; flagellis
Imperat. infandum. Immiti sub verbere terga,
Et latera, & pectus crepitant. Liuentia primum
Membra rubent, rubefacta tument, hinc tenditur icta
Saepe cutis, spissumq; vomit dissecta cruorem.
Sed terga ingentem lato dant ore fenestram.
Et plagis loca iam deerant: statuere reuinctum
Inq; suo, ah facinus, lapsantem sanguine, fessi
Lictores, sacrumq; caput vinxere corona

 Sentibus

Sentibus ex aſpris, velarunt corpus amictu
Purpureo, dextraq; manu fluuialis arundo
Inſeritur ſceptri in ſpeciem, riſu inde ſoluto
Linguam exertantes regis ſub imagine ludunt.
Quem circum aligeri lacrimas fudiſſe feruntur.
Vix adeo agnouit turpatum ſanguine corpus,
Et caput, & capitis non enarrabile textum
Pontius. & ſecum. Tandem miſerebitur hoſtis
Si modo ſic lacerum agnoſcat, mortemq; remittet.
Atque in conſpectum populi produxit & ora,
Foedatos hominis vultus, viuumq; cadauer.
Horruit aſpectu caelum, lumenq; reflexit.
Informis noua forma viri, miſerandaq; toto
Corpore, non plebem, pietas non mitigat vlla.
Saeuit adhuc procerum inſtinctu miſerabile vulgus,
Quale nemus crepitat, cum vis fera perculit Auſtri:
Inq; crucem inuiſum ſuſtolli poſtulat, ac ſi
Officiat, ſolusq; bonis communibus obſtet.
Summum odium extingui ſummo vix funere clamat.
Talis vbi humanum guſtauerit ore cruorem
Tigris, ab exanimo non tollit corpore rictus,
Ni totum prius exuit, ſiccumq; reliquit.
Hic poſtquam procerum inuidiam, populiq; furorem
Contra ſtare videt, mortemq; crucemq; frementum:
Totq; olim traxiſſe moras, tot crimina taedet
Soluere, & vrgetur clamore obſeſſus iniquo,
Romanus (dubiam vt rector cum flamina puppim

Solicitant, flectitq; viam, ventoq; furenti
Paret; & irato discit concedere ponto)
Multa putans aduersa, timore & captus inani,
Vincimur heu tandem studiorum turbine caeco
Conspirantis (ait) populi, vocumq; procella.
Nostra quidem istius fuerit mens nescia culpae:
At vobis, generiq; DEVS, pro sanguine tali
Et grates referet dignas, & praemia reddet.
Assensere omnes (odijs accincta nefandis
Inuidia, hos acri stimulos sub pectore versas?)
Nec sibi, nec generi quisquam, dum perdere possent
Vnum quem cuperent, vlla ratione pepercit.
Atque iterum exclamant. Dabitur pro sanguine sanguis,
Et nos, & maneat nostros ea poena nepotes.
Vox sonat, horrendum, recipitq; exterritus alte
Et Sarus, & Libanus, rursusq; ad sidera iactat,
Et simili caelum ac tellus clamore remugit.
Sic tandem insontem, nil & mortalibus vllis
Debentem, nullo exemplo, nec legibus vllis
Pontius vt sacrae deuotum destinat arae,
Qui superos placet vittata fronte iuuencum:
Et Solymae mactandum, offert, rapit improba vinclum,
Ac populos trahit in medios, dein exuit ostro,
Et nota laceros tunica superinduit artus.
Vrbs omnis confusa ruit: iuuat ora tueri
Pallida, suffusos oculos, languentia membra,
Et sanie aspersa, & manibus vexata proteruis.

Nec

Nec satis est animos aspectu pascere inanes,
Saeuum odium exhausto properat saturare cruore.
Et iam humeris grauis, heu, fesso gestanda datur CRVX
(Exitium extremum) caeso quam vertice duplex
Arbos extulerat trabibus per mutua nexis.
CRVX *fesso gestanda datur. succedit iniquo*
Ipse oneri, secumq; ferae fert pignora mortis.
Nuntia vix totam vulgarat fama per vrbem
Summum ad supplicium duci lacrimabile corpus
Quod genuit MARIA: *ingentem concurrere coetum*
Hinc videas: pueri, nuptae, innuptaeq; puellae.
Inualidiq; senes, nullo custode relicto
Deseruere domos vacuas, & compita complent.
Ille autem carpit medio flagrante tumultu
Iniusto sub fasce viam, verritq; trementi
Robore tellurem exanimis, vestigia duro
Vix firmans titubata solo: genua ipsa recusant,
Et gressum impediunt defectae in corpore vires.
Nec semel ingenti confectus membra labore
Substitit, aut saxo iacuit reuolutus acuto.
Ictibus & quamquam stimulisq; vrgetur iniquis,
Se tamen haud ferat ad collem, qui proximus vrbi
Imminet, ac longe nudatis ossibus albet
(Hic poenam Solymi sumebant morte nocentum)
Ni iussus quis ferret opem, pondusq; leuaret.
Vt ventum ad summum, medium Sol igneus orbem
Hauserat: hic tacitus turbam circumspicit omnem,

Si se forte aliquis morienti offerret amicum:
Nullus erat, modo saeui hostes. Rapiuntq; ruuntq;
Maerentemq; animo, & pallentem morte futura,
Effera corda hominum: nudis vt dentibus agnum
Cum saeui traxere lupi. Tum veste reuulsa
Nudus, inops, non ille sui, non ille pudoris
Oblitus, stetit in medio. stupuere silentem
Nec tristes humili rumpentem pectore voces
Mirati Isacidae: lictor perterritus, inter
Cruda ministeria, vt clauis plantasq; manusq;
Longe in diuersum rigida super arbore tractas,
Heu, potuit fixisse trabalibus: & tamen ipsum
Orantem veniam iniuste mactantibus audit.
Tollitur interea caelo CRVX *: & quatit alte*
Afflictum corpus, fluit omni e vulnere sanguis,
Et rigidum calido conspergit flumine lignum,
Quod quamquam viride, ac nuper de stirpe recisum est,
Purpurat, vt teneris vepres supposta rosetis.
Nec minus hinc atque hinc gemini tolluntur eodem
Supplicio, quibus illa fuit mors debita: quando
Haud veriti fretiq; armis, & fraude locorum
Infestas habuisse vias, & viuere rapto.
Ipse quidem clauis & mortifero cruciatu
Tenditur, & graue suspenso fert corpore pondus.
Conuertere oculos Solymi, furijsq; refecti
Illudunt, quassantq; caput, nec turpia verba,
Vocis & insanae maledicta effundere cessant.

Atque ea dum properant, CHRISTVS *de fontibus vni*
Consortes quos poenae habuit, iam multa precanti
Testantiq; DEVM, caeli bonus annuit arcem,
Membra licet iam dudum acri stent fixa dolore.
At tu summe Pater, scelerum iustissime vindex,
O caeli terraeq; potens, cur aspicis aequis
Haec non aequa oculis? prolem quid deseris almam
Vicina iam morte? Heu, te iam nomine clamans
Poscit opem. Quae tanta homini permissa potestas?
Aspicis haec? Tamen & cessas in tela, facesq;
Omnipotens? cessas? tonitru non ardua caeli
Tecta cies? caeco non terres turbine terras?
Non scelerum auctores dextra sub Tartara mittis?
Ipsa, viden' rerum haec moles operosa fatiscit,
Et deflet longum domini miserata laborem:
Iamq; sub ingenti voluens suspiria corde
Consternata iacet, simul & deiecta dolorem
Non capit ipsa suum: rumpuntur saxea quondam
Pectora cum fremitu horrifico: resonantia plangit
Brachia, & atratos fluuios effundit in aequor
Attonitum, faciemq; nigra ferrugine texit.
Sic sociam MARIAE *se addit, quae funera nati*
De cruce pendentis producit mater: at eheu
Non mater: stat maesta animo, stat saucia mente,
Atque eodem suffixa tenet praecordia ligno.
Nec leuis accessit miserae dolor, asper vt ora
Illius & fauces arentes torsit amaror,

Et

Et tristem calamus laticem porrexit aceti.
Sed tibi qui sensus Virgo maestissima, cum te
Anxiferas inter curas, extrema locutus,
Denique IOANNI *vt matrem commisit habendam,*
Inq; illum vt natum transfundere iussit amorem?
Vlterius ne tende oculis, fessosq; dolori
O genitrix furare pio: iam deficit ille,
Deficit, & validum clamat, Patremq; suprema
Voce ciens, fugientem animam commendat: at illa
Euolat, hic placida declinat lumina morte.
Ilicet. o genitor, iustas placauimus iras:
Iam nobis te redde pium: pro crimine poenas
Soluimus: & quicquid meruerunt pendere mores
Humani, luit hic sanguis: iam parce: malorum
Sit modus. Heu, rursus quid tela micantia cerno,
Vulnus & infixum lateri? latus haurit apertum
Cuspis: & ex illo non tantum vulnere sanguis,
Riuus aquae sequitur. concussit plaga trementem
Alta trabem, & moto gemuit sub pondere tellus.
Non tamen haec penitus mortalia lumina veri
Nescia cernebant: perfectis rebus ad Vrbem
Agmina se referunt maerentum, & pectora pulsant,
Cuncti execrantes spectacula. Dixerat inter
Hos aliquis, vere ille Deo se principe natum
Esse fatebatur, dignum & se patre ferebat.
At Solyme Solyme scelere est imbuta nefando.
Heu nostrum scelus omne fuit, Rex inclyte, nostrum

Quotq; vmquam vixere hominum: vitam ille, necemq;
Omnibus impendit, cunctos ea vulnera seruant,
Tu sanum modo sume animum, cur respuis aure
India, praesentem cur dedignare salutem?
Lux tibi iam caelo fulsit: quid membra veterno
Pressa graui in medias lethargi mergeris vndas?
Nox abit, euigila. laetos iam prouocat ortus,
Et tenebris Solem expulsis Aurora reducit.
CHRISTVS *adest*. DEVS, *ecce*, DEVS. *discedite tristes*
Hinc furiae, & tandem caelum terrasq; leuate.
Nunc age quae fuerint letum crudele secuta
Expediam, nec te per longa exordia ducam.
Emenso fugiens Sol decedebat Olympo,
Cum pacem exanimo, & corpus miserabile amicis
Qui peterent tumulo, concessit Pontius, aequam
Oratus veniam: duro hinc e stipite claui
Velluntur manibus pedibusq;: informe cadauer
Puluereq; & misto foedatum sanguine mater
Exanimata diu, saxoq; simillima imago,
Accipit impositum gremio: quid flumina narrem,
Quid lacrimarum imbrem, quid missas ore querelas,
Omniaq; & fletu & planctu resonantia circum?
Hic postquam abstersum est corpus, sed gurgite viuo
Ex oculis, liquido properant perfundere odore,
Sidonioq; parant trepidi circundare lino,
Omnia soluentes supremi munera honoris:
Inq; nouo tandem clauserunt membra sepulcro,

Quod

Quod viuo excisum e saxo curuatur in antrum.
Forsitan hic animae fuerit quae gloria, quaeres.
Illa autem vt tandem gelido de corpore cessit,
Libera sub terras claro se lumine misit,
Qua vectes obstant centum, robustaq; centum
Pondera: & extemplo ruptis immane catenis
Robur, & aeterni velluntur cardine postes.
Non secus ac domino carcer veniente patescit.
At Stygij proceres, & nigri carceris vmbrae
Vt sanctam videre animam, lucemq; coruscam,
Vertere terga metu amentes, caecisq; latebris
Condere se, & trepidis replere vlulatibus antrum.
Illa sed, vt nodis post tergum vinxit ahenis
Regnatorem Erebi, tollentem cornua dentesq;
Exacuentem atros, & pressit ter pede collum,
Et caput, & vasto porrectum corpus in antro:
Claustra petit longo haud nimium submota recessu.
Insontes illic animae, & sine corpore vitae
Sedibus extorres patrijs, caeloq; nitenti,
Inclusae dudum in tenebris, & carcere caeco,
Orantes lucem, libertatemq;, sedebant.
Spes vna haec misera solatur compede vinctas.
Quas inter pura per noctem in luce refulgens,
Vt stetit, antiquae docuit munimina culpae
Diruta, & ardentis patefactum limen Olympi.
Inde vbi se Oceano celerans emersit Eoo
Tertia lux, multo & descripsit lumine caelum

Paulatim albescens, & noctis reppulit umbras,
Corpus ubi exanimum saxi sub mole iacebat
Se reuocat, lucemq; simul, simul afflat honorem
Aeternum, sensumq; refert, cui mortis adempta
Condicio, nullos hominum sensura labores
Debita perpetuae reddebat praemia vitae.
Non aliter nox quando hominem somnusq; reliquit,
Excitat ille suo sopitos corpore sensus,
Atque opus hesternum repetit, coeptosq; labores.
Ecce tibi CHRISTVS *pendentis ab obice saxi*
Linea post humeros sinuosa volumina linquens,
Pulchraq; diuino vestitus membra decore
Prodijt. immoto tumulus sub marmore mansit
Integer: ipse micat superasq; euadit in auras.
Sic ubi per vitreas se fundit forte fenestras
Sol, per inoffensum transmittit lumina corpus,
Et celeri loca luce replet, tenebrasq; resoluit.
Hic primum se se matri pulcherrimus offert:
Mox socijs, carisq;, suo quos funere, amicis,
Terruerat, dubijs animi, & formidine pressis.
Agnouere (licet res inscia pectora turbet)
Humanosq; DEI *vultus, & dulcia verba*
Laetantes socij, iuuat huc accedere, & ipsas
Corporis accidere ad plagas, iuuat oscula plantis
Ferre sacris, lacrimas inter, dominoq; monente
Effossi in lateris latebras immittere dextram.
Nec semel hoc fecisse satis: vult saepe videri,

Et

Et mellis vesciq; fauis, & piscibus assis:
Omnibus vt magnum caeli inspiraret amorem,
Quo sese victor confecta pace ferebat.
Namque quaterdecies exortus purpureus Sol
Vt potuit fecisse fidem, CHRISTVS*q; probauit*
Humana in specie formae caelestis honores:
Et matrem, & comites sublimi in vertice montis
Constituit, mandata addens, quae cuncta per orbem
Ferre iubet, sacrosq; iubet recludere fontes,
Hos, quibus abluti, vitaq; & luce fruuntur.
Quandoquidem vt corpus sacro ad praecordia lapsu
Vis libat caelestis aquae, vetus interit vmbra,
Et noua lux oritur. Qualis cum fumida nubes
Tollitur aetherias olim sublimis in auras,
Solis inardescit primo fulgoribus: inde
Fumum abigens, lucem induitur, lateq; coruscat,
Denique fit flammis radiantibus aemula Solis.
Hactenus illorum nos vestris (credite) in oris
Fungimur officio: nos CHRISTI *iussa secuti*
Praeferimus vobis pacem, summaeq; docemus
Vrbis iter: Quo nunc vestras auertitis aures?
O miseri, tandem voces audite monentum,
Munera ne superum contemnite. Labitur aeuum,
Labitur, & celeri mors imminet incita penna.
Vos autem hanc sero votis reuocabitis horam,
Et frustra ex Erebo laetum cernetis Olympum.
Atque his legatos monitis instruxit, eosdem

Esse

Esse dedit patresq; hominum, rerumq; magistros :
Sed PETRVM *ante omnes : Pastor namque optimus illi*
Et curam agnorum atque ouium commisit habendam,
Nec non & portam caelestis credidit vrbis.
Accipit hic alios, alios excludit Olympo :
Namque hos relligio casto succedere caelo
Falsa vetat, hos vera fides, virtusq; tuetur
CHRISTI *conspectos insignibus. Omnibus aequus*
Ipse quidem pater est, sed non est omnibus idem
Ornatus, cultusq; animi. Jam tractat habenas
ROMANVS PATER. *Huic* PETRI *sors debita cessit :*
Hunc penes arbitrium referandi ex ordine caelum,
Et claudendi etiam, rerumq; est summa potestas :
Hinc reges sceptra accipere, hinc oracula gentes
Poscere, caelestum hinc tellus addiscere leges.
Donec summa dies molem hanc considere in ignes
Cernet, & haud iterum recidiuae moenia poni.
Ergo ea dum loquitur CHRISTVS, *dum talia mandat,*
Multa monens, sanctisq; animos hortatibus implet :
Ipsorum ante oculos mirantum, atque ora tuentum,
Non curru, aut paribus libratus in aëra pennis,
Sponte sua, tenues sensim consurgere in auras
Incipit, & leuius paulatim attollere corpus.
Et iam terrarum fastigia deserit : & iam
Sublimis caeli medium tenet, aethera carpit :
Et iam oculi magis haud possunt spectare sequentum.
Illum e conspectu nubes fert lumine fuluo.

Dumq;

Dumq; animis inhiant, quo non protendere possunt
Victam aciem, gressuq; manet nil motus eodem
Quisque suo, gemini labuntur ab aethere celso,
Aligerum e numero candenti veste decori.
Et subito. Ne state viri. Quid tenditis vltra
Caelum aspectantes? caelum conscendit. at idem
CHRISTVS *ab aetherio descendet rursus Olympo*
Talis erit rediens, qualem vidistis euntem.
Haec effati ambo, celerant ad sidera gressus.
Hic Pater Omnipotens secum considere iussit
Victorem vnigenam, dextraq; in sede locauit,
Et dedit esse vnum terraeq; poliq; potentem.
At fratres generosa cohors, accensaq; curis
Pectora, vt amisso proles orbata parente,
Extemplo, vt iussi, Solymas vertuntur ad arces:
Hic trepidi patrumq; odijs, populiq; tumultu
Interiora domus conscendunt culmina: & ipsis
Parietibus, firmantq; animos, & corpora condunt.
Bis quinos siluere dies: stant limine clauso
Orantq; vnanimes, CHRISTI *& promissa reposcunt.*
Cum subito tonuere poli, magnoq; moueri
Visa, velut quondam venientis turbine venti,
Ardua tectorum, & sedes terrore repleri.
Dum metuunt, magis atque magis, caelum insonat ingens
Multiplici flamma. radijs tum lingua coruscis
Crebra niuis ritu scintillas dißipat ignis.
Ilicet obstupuere animis, promißaq; dona

Submissi

Submissi agnoscunt: nec tam demissa salutant
Signa polo clamore alacri quam feruida muto
Vota metu duplicant: non secius aethere ningit,
Labunturq; alto flammantia vellera caelo:
Hoc magis audiri sonitus, dum fulgure multo,
Ordine partito, tactuq; innoxia molli
Ignea lingua micans cunctorum in vertice sedit.
Ardet apex capiti: tum SANCTVS *pectora complet*
SPIRITVS, *& lene aspirans complectitur aura*
Aetheria sensus, & mentibus implicat ignem.
Vt primum abscessit terror, pigroq; timore
Omnibus excusso gelidus tremor ossa reliquit,
Vtq; acuit noua vis animos, vtq; impulit ora:
Continuo patuere domus, foribusq; reclusis
Dant se se populis, & aperta pericula temnunt:
Et modo quos omnis strepitus, vox perculit omnis,
Iam non infestae facies, non verba, minaeq;,
Sed nec tela mouent aduersa, aut vulnera terrent.
Freti animis adeo, diuino & robore freti,
Quem Solymi dudum crudeli morte peremptum,
Quem positum tumulo viderunt, viuere IESVM
Excitum e tumulo constanti voce fatentur.
Ille Deus, genitusq; Deo, qui lucida torquet
Sidera, qui patrijs moderatur legibus orbem.
His animos tollunt dictis, quibus ampla loquendi
Addita vis, virtusq;: sacro qui numine feruent.
Quin etiam gentes illis cum forte diebus

Innumerae

Innumerae affluerent, diuerso ex orbe profectae,
Et linguis variae, & studijs (mirabile dictu)
Accepere omnes sensumq; & verba loquentum
More suo. vox vna leues diuerberat auras,
Multipliciq; sono in varias se diuidit aures.
Audiuere viros Parthi, Cretesq;, Phrygesq;
Qui Tiberim, Cydnum ue bibunt: quos diues equorum
Diues agri, toto grauidis qui visitur anno
Arboribus, Libyca, Cyrene misit ab ora,
Et quos pinguis alit fecundo flumine Nilus.
Audijt & Tauri cultor, quem propter Amanus
Tollitur, & Cilicum subiectas territat arces.
Nec modo vos aris pascentes sacra Sabaei
Tura sacris, mollesq; Arabes, sed Bactra, sed Indi,
Vos etiam audistis, quos Tigris perluit amne,
Et quos multifidus Ganges. Exinde per orbem,
Ne qua foret regio CHRISTI *non plena laborum,*
Et via se cunctis aperiret certa salutis,
Fortunata manus, certum sortita periclum
Mittitur. Illorum in terras sonus exijt omnes:
Quaq; patent ortus, & qua Sol mergitur vndis,
Quaq; riget glacie tellus, quaq; vritur igni,
Verba suam tenuere fidem: Nec defuit vnus
Ipsorum e numero, THOMAM *dixere (per aures*
Nam vestras hoc nomen ijt, non irrita fingo)
Qui vestros quondam dignatus visere fines
Mollijt egelidum Tanaim, & possessa pruinis

Arua, nec Indorum verbis inflectere corda
Destitit, & superum leges monstrare monendo:
Donec ab infido non ficta fraude tyranno
Oppressus, certa ferrum cum morte recepit,
Et caelum subijt deserto corpore victor:
Corpore, quod veluti seruatum nobile pignus
India caelicolis supremo in tempore reddet.
Namque tibi (nam restat adhuc quod quaeritur unum)
Vnum etiam pandam, factoq; hic fine quiescam,
Optime Rex. Veniet non exuperabile tempus
Cum maria, & terras, per summa incendia, summo
Vna dies dabit exitio: cum maxima tandem
Sustentata diu moles procumbet, & atra
Ignibus extinctis stabit caligine caelum.
Et ruet ex imis haec machina fundamentis.
Tum vero aligerum clamor, clangorq; tubarum
Terribili monitu & cineres animabit & ossa:
Quae terra actutum mirabitur ire sepulcris
Excita, & ad visum vultus Natura reflectet.
Namque omnis trepidans soboles humana parentis
Supremi imperio veniet: se sistet ad vnum
Scilicet a prima nascentis origine mundi,
Aurea qui tulerit radianti sceptra pyropo,
Et qui seruili durarit membra labore,
Condicione pari: generis discrimina nulla,
Sed virtutis erunt: Iudex erit omnibus idem.
Ipse autem aligerum in medio, caeloq; volantum,
Collectamq;

Collectamq; diu metuentum vindicis iram,
Praeq; CRVCEM *& sacrae* CRVCIS *argumẽta ferentum,*
Rex erit, & media stellarum in luce, corusca
Nube sedens, hominum vitas, & crimina discet.
Pro se quisque suam manifesto crimine causam
Solus aget, superum, atque hominum spectante corona.
Tum quibus & virtutis amor, dum vita manebat,
Et pia relligio cordi fuit: & CRVCIS *ingens*
Profuit insigne, vt caelestia signa secutis
Annuet, & caeli regnorum in parte locatis
Aeternum dabit imperium, vitamq; beatam.
Hic, luxus vbi non molles, non vana voluptas,
Turpia lasciuae promittent gaudia vitae,
Qualia quae pecudum capiunt dulcedine sensus:
Sed mentes hominum aeternas, nec debita morti
Corpora, digna aeui semper florentis honore,
Vnus erit diuinus amor qui compleat, vnum
Diuinae studium laudis: nam quanta videri
Maiestas qualisq; solet diuina, beatis
Se dabit aspectandam oculis: hinc hauriet ignem
Attonitum pectus: gliscet praecordia circum
Ignis, & ardentes erumpet faucibus aestus.
Ipsa DEI *species pascitq; vritq; videndo,*
Et linguas atque ora mouet. Sic visus amorem,
Laudem amor excipiet: capient nec taedia: rursus
Visus: rursus amor: rursus per carmina laudes:
Mutuaq; in se se per munera verterit orbis.

Hoc opus: haec requies: hic laetis mentibus ardor
Vnus erit, cunctis haec subdita flamma medullis.
Illi autem (namque haec fuerint sua praemia iustis)
Longe fulgentes, atque vndique peruolitantes
Omniuaga late complebunt omnia luce:
Ac veluti scintilla leui per arundine densos
Fulgurat, & volucri percurrit lumine campos.
At miseros, quorum concretas crimina tardant
Non absterſa animas, CHRISTI *qui dulcia iussa*
Et monitus caeloq; datos terraq; probante
Temnere non metuunt, quos verae taedia laudis
Nunc capiunt, ferient diuinae vulnera vocis,
Heu nimium miseros, aget irreuocabile verbum
In sedem scelerum aeternam, noctemq; profundam,
Terribilesq; vmbras, & formidabile regnum
Sub loca senta situ, atque vltricibus horrida flammis.
Hic vbi perpetuis torrebit viscera poenis
Ignis atrox flammis indeficientibus auctus,
Atque edet infelix animas, & conscius anget
Corda dolor, nec finis erit, requiesq; malorum.
Nostra haec relligio: Rex optime, noster IESVS
Quis sit, habes, auida toties quod mente petisti.
Non audisse satis: factis firmanda, fideq;
Res audita: sono mens ne pascatur inani.
Haec est vera salus. CHRISTVS *Deus: ipse salutis*
Omnibus est auctor: nos ipse a morte reduxit
Morte sua, caeliq; tenens sanctissimus arces

Inuitat

Inuitat mercede animos, & praemia monstrat.
Nunc age iam nostra liceat te voce moneri.
Vtere Rex tandem tibi quae est oblata facultas,
Vtere. Consilia in melius vitamq; referre,
Et rebus gaudere nouis, non turpe putandum
Cum veteres obsunt. Mentem mutare bonorum est.
Aspicis errantem quo te via deuia traxit,
Quae te poena manet, quae rerum fallit imago,
Haec, matutino qualis depellitur ortu
Nubes, & tenero ros gramine Sole tepenti,
Et tenuis valido iactatur turbine puluis,
Talis in occasu summo te deseret. At nos
Despicis, & CHRISTI *sordent tibi munera. sed te*
Respice, cui caeli debentur lucida templa,
Si sapies, CHRISTVM*q; voles audire vocantem.*
Haec patria: hic pater: haec hominum castißima vota.
Nam quid opes, famuliq; iuuant? quid milite campi
Vndantes? quid Parthus equo, densoq; elephantum
Agmine terribilis, totusq; sub arma coactus
Qua mare, qua terrae, qua caelum amplectitur, orbis,
Si fraudas animam caelestibus? Eia age segnes
Tolle moras: ostende virum: disrumpe soporem:
Excute regali seruilia vincula collo:
Incipe, & exemplo populos accende: iuuabit
Audentem DEVS*: ipse vocat, vocem impiger audi.*
Ille tuas fundabit opes, ille oppida cinget.
Et dabit assiduos caelum quos seruet honores.

Hii

His surdas ego non fictis sermonibus aures,
Nesciaq; aeternis monitis concedere corda,
Ne quicquam, ut scopulos ventorum flamina perflant,
Tundebam, insistens. hominum dementia CHRISTO
Obstitit. Illi etiam mortem mihi saepe minati,
Et capere insidijs conati, & tollere ferro:
Fecissentq; (utinam) sed Rex & voce vetabat,
Et custode dato: seruabat limina custos,
Et comes affixus lateri (sic iußerat ille)
Multa recusanti, & cupienti sanguine vitam
Pro CHRISTO, *&* CHRISTI *pro maiestate parentis*
Fundere. At indignus fueram tunc munere tali,
Quo CHRISTVS *me (spero equidem) dignabitur olim.*
Vos modo me precibus socij, votisq; iuuate.
Tunc aliter visum. Quartum perduxit ad annum
Me Rex incolumem, procerum damnauit & iras:
Quiq; breuem poterat nobis producere vitam,
Reppulit aeternam. Nec erat cogenda voluntas,
Sed fuerat satis impelli, verumq; doceri.
Ille etiam caelo, demens, fortasse, ferebat,
Ventosos animos, magnosq; insanus honores
Supra homines, studio & furto captabat inani.
Inde ubi non spes ulla animo se ostendere nostro
Coepit, & in nudos lapides iactata videntur
Semina, quae numquam crescant, dimittere regem,
Et procul ingrata statui decedere terra,
Admonitus CHRISTI *imperio. Nam poscimur, inquam,*

Nos

Nos alias etiam in terras. licet ipse recuset
Rex primum, & quaerens causas de more morandi,
Tristior ex alijs alias innectat amice:
Perstabam tamen vt magis, immotusq; manebam,
Dat veniam, reditumq; orat, tum munera mittit
Plurima, vimq; auri magnam: quae cuncta repelli
Non satis admirans: saltem cape pignus amoris
Ne penitus spernamur, ait: pete quidlibet oro
E nostro imperio, nullam patiere repulsam.
Regia dona palam toties spreuisse superbum est.
Hic ego Christicolas Moscha de gente poposci,
Captiuamq; domum, cui libertatis adempta
Spes fuerat. Tandemq; virum cum coniuge, natisq;
Abstuli, & ad nostros CHRISTO *ducente, reduxi.*

F I N I S.



FRANCISCI BENCII QVINQVE . MARTYRVM

LIBER . QVINTVS

HAEC *memorans dulci socios implebat amore,*
Et placido medios aestus sermone leuabat.
Sol axem interea deuexo tramite torquens
Pronus abit, iactaeq; altis e montibus vmbrae
Festinare iubent, Vrlini vt visere sedem
Ante queant, fessos quam mergat in aequore currus.
Est procul extrema Vrlinum Salsethide terra
Vrbs fidei rectiq; colens, cui proxima ciues
Arua infesta tenent Coculini, & moenia tollunt,
Dissimiles studijs. Superum mitissima iussa
Abnuit infelix populus, nec dulcibus aures

Praebuit

Praebuit admonitis: duro praecordia ferro
Vinxere immites furiae, poenisq; minisq;
Brachmanes prohibent; & iniqua mente resistunt
Huc igitur statuunt concedere, quo minus essent
Difficiles Coculini aditu, vicinaq; possent
Oppida non longo spatio telluris obiri.
Nempe omnis tentanda via est, qua ferrea tandem
Corda hominum liceat sancto submittere amori.
Hanc causam dixere viae, sed gratior alter
Contigit euentus, pro relligione tuenda
Augendaq; fide, mors votis saepe petita.
Nec mora, succedunt templo, precibusq; peractis
Cortalino abeunt propere, sociosq; relinquunt.
Quorum pars ipso templi sub limine mansit,
Pars magna ante tulit gressum, pacemq; precatus
RODVLPHO *& socijs sua quisque ad tecta recessit.*
Quinque ibant numero unanimes, CHRISTVM*q; canebāt,*
Et mentes animasq; DEI *quas templa beatas*
Excipiunt, hominum celeres occurrere votis,
Nomine quamque suo venerantes voce vocabant,
Vt tutam dent esse viam, minuantq; laborem.
Nec longe progressi adeo, venerabile signum
Aspectant CRVCIS, *e tumuli procul aggere summo,*
Quam circum innumerae ex hebeno palmaq; tabellae,
Quas fixit populus voti memor, ipsaq; circum
Voti argumenta, & causas, casusq;, notauit.
Depulit hic febrem membris: dirum ille venenum

Expuit allapsum stomacho: delapsus ab alto
Ille, caput nihil offendit, corpusq; leuauit
Incolume: hic pelagi nuper seruatus ab vndis,
Ipsa licet medio iaceat ratis obruta ponto.
Hic sceleris falsò damnatus crimine, mortem
Dum timet, iniustos laqueos euasit, opemq;
Numinis expertus, natos patriamq; reuisit.
In medio, puerum viuentem defodit alte
Impia mater humi, sòlum te CHRISTE *vocantem*
Cum lacrimis: sed enim melior miserata sepultum
Terra parens gremioq; fouet, missaeq; relinquit
Voci iter, vt longum deflentis verba viator
Audiat, & superas laetantem extollat in auras.
Nec procul hinc, daemon flammato corpore, & ore
Terribili, mortem, atque ipsis ex vincla catenis
Intentans, iuuenem visus terrere, sed illum,
Diuinam dum poscit opem, dum nomen IESV
Ingeminat, CRVCE *dum frontem, dum pectora firmat,*
Fumigerum eructans sulphur flammamq; relinquit.
Tu quoque magni animi, quamquam non integer aeui,
Partem aliquam in picta fers BERNARDINE *tabella,*
Quem semel vt CHRISTI *tetigit pia cura, fidesq;,*
Non matris flexere preces, non verba, minantis
Germani, non insidiae, non carceris antrum,
Non somnum inductura grauem, vinctur aq; mentem
Mala, sacris vmquam potuere expellere coeptis:
Tu prima sub luce fugis, somnoq; grauatum

Qui

Qui datus haerebat custos, & vincula fallis.
Tum lintrem arripiens remo & rectore carentem,
Goanum superas aduerso flumine portum.
Haec socij atque alia, vt precibus de more vacarunt,
Perlegerent oculis, ni nox festina propinquet:
Et BERNVS, *Neque enim tempus sibi talia poscit,*
Acceleremus, ait, Properant, Vernamq; relinquunt:
Cuius in excelso sacrum stat vertice templum.
Ille iterum. Hoc fanum (memorat) quod cernitis, olim
Infernis steterat monstris, ac turpibus aris.
Fanum ingens, insigne, vetus: sed funditus ante
Annis bis septem euersum: tum sedibus ijsdem,
Hoc templum extructum superis, SANCTAE*q; dicatum*
Rite CRVCI, *& conuersa Fides ratioq; sacrorum.*
Illa etiam modo quae mentes conuertit & ora
Inclyta CRVX *circum donis positisq; tabellis,*
Ornatu illustri, fixa est in marmore prisco,
Hic vbi odoratam diffusus amaracus herbam
Explicuit, superumq; diu dignatus honore est.
Vix ea: cum paulum progressis, monstrat & arcem,
Marganiq; domos veteres, camposq; virentes:
Nec minus, & SANCTVS *sibi poni* SPIRITVS *aedem*
Quam passus colit, ac donis caelestibus auget.
Hoc castrum, hoc, inquit, nemoroso in vertice templum
Relligione sacrum praesenti numinis aura
Dignatur DEVS. *hic facili persaepe virorum*
Mollijt allapsu sensus, & pectora flexit:

Humor vt efflueret per desudantia sensim
Lumina, perq; nouos iret castißimus artus
Ignis, & imprimeret sanctum per viscera amorem.
Est genus hic hominum miserabile: quos tamen Indi
Mirantur miseri, & titulis ingentibus ornant.
Nam quia semiferos artus, setosaq; membra
Veste tegunt lacera, solisq; in montibus errant,
Duriter e uulsis ducentes stirpibus aeuum,
Caelicolum in terris dicuntur degere vitam:
Quin etiam instinctu superum euentura profari.
Hos illi dixere Ioques, vatesq; salutant:
Horum consilijs vti meditantur, & arte.
Ipsi autem raro conspecti, & pauca locuti
Incautam ficto deludunt numine plebem.
Atque horum e numero egregio studioq; virorum,
Haud dudum huc quemdam memini concedere cultu
Se talem, talem se animis, talem ore ferentem,
Poßet vt ignaras tacitus peruertere mentes.
Ibat inops, vestitu humilis, sed mente superbus:
Torua supercilio grauitas, fastusq; dolosam
Pauperiem ostentans; barba, capitisq; reuulsis
Crinibus, extabat supremo in vertice rara
Canicies, circlum extollens: traiecerat vnco
Multiplici auriculas: digitos manuumq; pedumq;
Brachiaq; & crura, armillis ex aere rigenti
Vinxerat: ex humero confertis rebus onusta
Mantica, sed leuior pendebat fistula collo.

Idem

Idem etiam, vt nulla inciderent obliuia mortis,
Extinctam gestabat auem, cui corpore plumae
Nondum detractae: curuatum dextra ferebat
Praeterea cornu: quod sparsa per oppida rauco
Aduentum celebrans cantu, vulgusq; moneret
Officij, & cupidum portis exciret apertis.
Hac pompa, his armis, hac se se mente ferebat
Inflatus plausuq; hominum, numeroq; sequentum:
Et templum ingressus, magna stipante caterua,
Stultus aui similis, quam circum turba volucrum
Ludendi studio late strepitantibus alis
Peruolitat, demens fert partem lumina in omnem,
Et noua quae facies aedis, miratur, & vsus:
Vt tandem tremulis veneranda altaria flammis
Fulgere, & auratum media testudine templi
Excelsae in speciem ac munitae turribus arcis,
(Argumentum ingens, tibi CHRISTE, *insigne trophaeum)*
Aspexit solium, quod circum pectore ab imo
Gens fundit submissa preces: accenditur atro
Felle dolor, rubuere oculi, quassaeq; catenae
Percussumq; femur: loquitur, sed verba loquentis
Vocibus infractis nullas referuntur ad aures:
Et spumis circum albescunt turgentibus ora.
Nec satis haec: impura ausus contigere dextra
Impius aram esset, ni prudens ante sacerdos
Seductum in partem dictis placaret amicis,
Supplicibusq; simul votis, pacemq; petendam

Et

Et veniam, miti caelestum ab Rege moneret.
Mira feram, sed vera: animos oculosq; repente
Deiecit senior: Stygius iam pectore daemon
Elapsus: iam SANCTVS *amor, iam viscera complet*
SPIRITVS: *& piget incepti, scelerisq;*, DEVMq;
Conuersus colit: hinc vestem cultumq; priorem
Ex animo indignans, fascem coniecit in vnum,
In medioq; foro circum spectante corona,
Nil famam iusto metuens obstare dolori,
Brachmanum ante ora admirantum, & torua tuentum
Ignibus iniecit rapidis: rogus impiger hausit
Omnia: tum ferrum, cornu, velamina nota,
Fistulaq;, atque vnci, vilisq; & parua supellex,
Arma viri, subitis flammis congesta cremantur.
Atque superstitio in cineres collapsa resedit.
Nec verum agnouisse DEVM, *propriumq; dicasse*
Se CHRISTO, *& maculas, abluto corpore, mentis*
Abstersisse, satis: remeat laetissimus Vrbem
Ad patriam, notasq; domos: errantibus almam
Vt valeat monstrare viam, quae ducit ad astra,
Eq; suo accendat diuinum lumine lumen.
Nec iusta optanti DEVS *abfuit: audijt ipsum*
Mutatum mirata domus, vocemq; secuta est:
Sic genus omne suum sacra ad caelestia vertens,
Primitias tulit has superis, CHRISTOq; *sacrauit.*
Talibus inter se dictis iam tecta videbant
Proxima, & Vrlini portas, ac moenia, & ipsam

Cui

Cui dux militiae caelestis praesidet, aedem:
Agnouere illam pariter: namque aereus extat
Aliger in summa, compressis leniter alis,
Peruigil ut templi custos: examine lances
Ancipiti fert laeua duas: simulacra duarum
Hinc simul atque illinc animarum imposta feruntur
Diuerso indicio: ut pateat discrimine iusto
Quam damnet scelus, & magno cum pondere ad Orcum
Deprimat, aut melior quam tollat ad aethera virtus.
Dextra manus telum tenet alta: & cuspide victor
Horrifici pede quem subigit deforme draconis
Transadigit corpus: caudam ferus ille retorquet,
Atque indignanti similis, similisq; timenti,
Lumina distento obliquat flammantia collo.
At ea dum spectant socij, dum vertice aperto
Ductorem aligerum praeter venerantur euntes:
Interea e portis procedunt agmine longo
Effusi pueri: vestis candore niuali
Corpus obit, viridi crines velantur oliua,
Praeq; manu portant victricis germina palmae.
Ipsi autem vultuq; hilari, gressuq; modesto
Ibant aequati numero: praeit aurea longo
Hastili praefixa CRVCIS *sublimis imago:*
Et via perpetuo resonat laetissima cantu.
Nãque DEVM, CHRISTVM*q; canũt,* MARIAM*q; parentẽ.*
Carminibus patrijs, formamq; modumq; precandi
Quem docuit quondam humano DEVS *ore locutus:*

Nec minus, & bis sex proceres quae lecta sacrarum
Bißenis tribuere locis mysteria rerum:
Christicolum summam legis: pueri agmina cogunt
DOMNICVS ALPHONSVSq; *vna, quos vnda renatos*
Vno eodemq; die CHRISTO *extulit & simul ambos*
Vno eodemq; die referet per funera sanguis,
Et pietas geminos caelesti in sede reponet;
Quos nullum dirimat saeclis venientibus aeuum.
Vna fides illis, mens illis vna duobus,
Vnus amor, pariterq; vna sacra munera obibant:
Tum quoque communi claudebant ordine coetum,
Et superis meritum reddebant vocis honorem.
Atque ea RODVLPHO, *& socijs dum mira videntur:*
Et subijt pompae Solymorum dulcis imago,
Qua regem exceptura suum, qui tardus asello
Ingreditur vectus, simplex procedere gaudet
Turba virum festosq; manu praetendere ramos
Palmifera, & Domini laudes celebrare canendo.
Et lacrimis maduere genae. Tum feruidus altam
Extollens vocem, Puerile hoc cernitis agmen,
BERNVS *ait, quod sacra canens occurrit, & aequam*
Praefert laetitiam venientibus? Haec noua CHRISTI
Progenies, quae sponte sua gentemq; domumq;
Cunctaq; posthabuit CHRISTO, *cessitq; monenti:*
Nunc vero spoliatam opibus, nunc sedibus illam
Eiectam patrijs, pietas notissima regum
Lysiadum impensis opibus, victuq; domoq;

Excipit,

Excipit, vt possint sacras ex ordine leges
Discere, & his terris longum diffundere in aeuum.
Interea propius pueri accessere, patresq;,
Qui terram CRVCE *conspecta petiere precantes,*
Rectorem ante omnes RODVLPHVM *voce salutant.*
Tum medios cepere illos; licet vsque recusent
Multa reluctantes, vicerunt verba rogantum
Et puerum pietas. Rursus pueri agmina iungunt,
Conuertunt cantuq; viam, rectaq; petentes,
Ingenti procerum plausu, matrumq; corona,
Hac media tacitos pompa, vultumq; pudore
Deiectos duxere patres ad limina templi.
At pius, vt primum laetantum constitit vnda,
RODVLPHVS *permulta suo cum pectore versans:*
O felix Vrlinum, inquit, cui rector Olympi
Tam faciles ad rectum animos, ciliq; iuuentae
Tam castos mores, placidae tam mite senectae
Ingenium dedit, & sanctis sermonibus aptum.
O, nimium felix, si non vicinia tantum
Saeua premat, tantumq; pijs conatibus obstet.
Sed tandem quis finis erit? non posse monendo
Ad veri studium, pulchrae virtutis ad vsum
Formari Coculinum animos, flecti ue precando?
Et toties illic Stygius dominabitur hostis
Laetior euentu? Et victoris nomine victis
Insultabit ouans? Superum subsessor honorum?
Quin imus, socij, CHRISTO *duce, & inclyta signa*

T *Inferimus:*

Inferimus: quorum aspectum non perferet ille,
Sed procul aufugiet? vincent quos vincere dignum est.
Interea occulto velut arbor tempore vires
Impietas capit, atque morae dispendia crescunt.
Haec ait. Et secum versat quem mittere possit
Ad Coculinorum populos mandata ferentem,
Se prius Oceano quam Sol condatur Ibero
Crastinus, & socios, ipsorum ad limina ituros,
Orantes congressum hominum, pacemq; precantes.
Audijt haec PAVLVS *(neque enim secreta feruntur)*
Gentis ab ACOSTAE *dictus cognomine* PAVLVS,
Qui quondam veteri Brachmanum sanguine cretus,
Exuerat veteres animos, lymphaq; salubri
Lustratus nomenq; sibi vitamq; nouarat:
Non ille e socium numero, sacraq; cohorte,
Sed cui Christicolum res olim credita, regum
Imperio, stetit vsque viris, & viribus aucta.
Ipse quidem superis gratum magnumq; futurum
Hoc sperans, vltro se se obtulit: & simul ipsa
Accelerans mandata tulit: rursumq; reuertit
Accelerans, se quando illi dixere paratos,
Missurosq; virum qui publica dicta reportet.
Hic subito magnus parua diffunditur vrbe
Rumor, & obscuris mentes terroribus implens,
Terrificae noctis crescentes duplicat vmbras:
Quos metuere viros diuisq; sacrisq; minantes
Excidium extremum, vicinis affore ab oris

Vix

Vix vbi se tollet lux crastina: iamq; superbos
Legatos venisse palam mandata ferentes,
Vt taciti explorent animos, & fraude morentur.
Extemplo turbati animi, magnusq; per omnes
It timor, & vulgus demittit inertia corda.
Quid templum, quid pompa iuuat? quid lumine multo
In templorum adytis adolere sacraria diuum,
Et circum assiduas pedibus plausisse choreas?
Quid nutrisse diu sacratum vertice crinem,
Nec licuiße vmquam tondenti abscindere ferro?
Hostis adest. Tales effundunt ore quaerelas.
Solicitantq; omnem crebris discursibus vrbem:
Hinc muros alij, & portas statione tuentur
Peruigili, sed templum alij custode coronant.
Tum, veluti haud verbis, sed agendum cominus armis.
Arma parant, varijsq; serunt sermonibus hostem.
Haud aliter vis saeua canum custodit ouile,
Instantis propiora ferae cum signa feruntur,
Per mediam noctem, & resonant latratibus aurae.
At trepidae matres gemitu mestoq; vlulatu
Tecta replent, acuuntq; viros, & clara fenestris
Lumina suspendunt, velut acer Lysius vrbem
Deiecturum ipsam minitans, aedesq; deorum
Aduolet, & meritas cogat persoluere poenas.
Visae etiam speciesq; deum sub nocte: per vmbram
Vox multis audita locis. Gens saeua propinquat
Inductura alios ritus, versura vetustos,

Ite viri, & templum raptis defendite telis.
Inde vbi nox abijt, summisq; albescere lucem
Montibus, & vitreos pelagi pallescere fluctus
Aurora veniente vident, velut vltimus esset
Ille dies (vt saepe sua se sponte fatigat
Impietas, nulloq; fugit vexata sequente)
Ad delubra abeunt & tura & dona ferentes,
Diffusaeq; comas, & tunsae pectora pugnis
Matronae, puerosq; trahunt, genibusq; volutae
Tendunt tellurem perrepere, tundere poste
Infelix caput, & passis procumbere palmis.
Sic mistis puerum ploratibus atria circum
Planctu femineo, & magno sonuere tumultu.
Ast alio fert cura viros. Coiere vocati
Brachmanes, Nairesq; vna (nam cetera turba
Plurima defendit portas) subitoq; coacto
Concilio, certam ad sedem venere frequentes.
Quo soliti, quoscumque vocet res publica ferri.
Est tumulo locus in summo: vicina recessum
Efficit oppositu laterum plaga deuia montis,
Qui pelago obijcitur, gremioq; amplectitur vrbem:
Nec tantum arboribus septus locus, obice saxi,
Forniceq; extructo ventos contemnit & imbres:
Nec non & Scythici formam sinuatur in arcus.
Quem circum aequato surgunt de marmore sedes,
In morem caueae, pendenti aut mole theatri.
Huc varijs properant clamoribus: agmina quales

Coruorum effundunt, cum tempestatibus acti
Aëra tranantes, siluarum tuta requirunt,
Et portum ingreßi pennarum vela remittunt.
Vt tandem trepidi siluerunt. Tum, noua quando
Cognita res; tantum verbis augere Chelimo
Qui primum proceres inter ducebat honorem,
Cura fuit, medio surgens ex ordine fatur.
Delecti proceres regum de sanguine, quorum
Consilijs, armisq; potens res Indica, ab ortu
Floruit, & totum longe celebrata per orbem
Virtutum radios Solis cum lumine fudit.
Quae vos accierit, tanti quae causa tumultus,
Obscura est nulli. Non longe scilicet hostes
Hac coniurati diuos extrudere terra,
Castra mouent: nec dissimulant: pugnae ecce supremae
Hunc dixere diem: venient, plagasq; recentes
Rescindent, quarum non est obducta cicatrix,
Euertentq; graui, quae vix stant fulta, ruina:
Et nostrum decus omne cadet Salsethide tota.
Res ipsa ante oculos, spes quam sit parua, videtis:
Ni libeat vim vi depellere. Quod nisi aperta
Virtus proficiat, tentemus qualibet arte:
Vim dabit ingenium. NVLLVM *est memorabile factum*
Si discrimen abest. Nec desunt arma, viriq;.
Occumbant homines diuis crudele minantes
Exitium ac templis: lux vna haec templa, deosq;
Defensos dabit, & caelo nos gloria tollet.

Nec verbis hoc tempus, ait, Res postulat arma.
Talibus orantem excipiunt non murmure rauco,
Sed plausu, fremituq; omnes: probat ipse disertus
Consilium Battus. Nil iam sermonibus, inquit,
Est opus, ipsa dies clamat, tempusq;, deusq;.
Credite nunc tandem nos exoptata reuiset
Libertas, doctusq; malo turbabitur hostis,
Abijcietq; minas: feret imploratus, vt olim,
Idalcanus opem. certe non, diruta semper
Templa deum, spretosq; deos patiemur inulti:
Nec bene apud memores abolescet gratia facti.
Hoc magis accensi Naires. Quos inter acerbus
Ardet Alexindas collecto milite, & omnem
Consessum clamore implet. Se noscere sedem,
Quae patet insidijs, tendendae accommoda fraudi,
Vnde hostis nullum inueniat per iniqua regreßum.
Hoc placet. Ac primum statuunt praemittere certos
Qui responsa ferant (folijs ea cuspide ferri
Inscriptis de more dabant) Mira arte doloq;
Promittunt facilemq; animum mentemq; benignam,
Insidias quibus infesti, caedemq; parabant:
Adduntq; ad primos statuisse occurrere fines.
Haec vbi decreuit turbata concitus ira,
Et rationis egens (Quid enim rationis in ira est?)
Conseßus procerum studijs communibus, acri
Robore Alexindam magno compellat honore,
Ductorem vocat, & socios adiungere certat.

Non tamen haec, melior cui stat sententia cordi,
Consilio grauis atq; aeuo, quem plurimus vsus
Erudijt, laudat Codrylus, defixa tenebat
Ora solo, curamq; grauem sub corde premebat:
Surgit, & haec prudens imo de pectore fatur,
Ostendit quae vera seni praesaga mali mens,
Aut DEVS: *vt ciues, si sit mutabile pectus,*
Flectat, & abstineant crudeli caede piorum.
Ne properate viri: satis est responsa dedisse:
Insidias vltra ne tendite: iamne potentum
Experti toties, iustas contemnitis iras
Lysiadum? Tantae ne iuuat succumbere culpae,
Aequa premet quam poena comes? Quid calcibus vti
Aduersum stimulos? Numquam potietur aperto
Aequore liber equus, qui frenos ore recepit.
Pareat ille sui domitus rectoris habenis.
Errat inops animi, si quis contendere forti
Audeat inferior, vinci non vincere tendit.
Et pudor afflictis maerorem mentibus addit.
Cur contra vetitum tanta est concordia? Tandem
Cedite. QVOD *nequeas aliter superare ferendum est.*
Quod si caede odium expletur, si sanguine tantum:
Dicam equidem o iuuenes non grata, aut credita vobis,
Erumpet de caede seges, de sanguine semen,
Et noua per pingues tollent se gramina campos,
Quae nec ferro vmquam valeas, nec vincere flamma.
Talia fundebat non exaudita senectus,

Sed

Sed derisa magis iuueni, vaniq; timoris
Codrylus arguitur, longo cui victa fatiscat
Mens senio, & gelidus confecto corpore sanguis.
Tum magis exclamant, fremitumq; propinqua volutant
Littora, & acceptae vocis responsat imago.
Rem iuuenes bellumq; gerant, quibus integer aeui
Est sanguis, praesensq; viget sub pectore virtus.
Longaeui pacem exoptent, diuosq; precentur,
Nec turbent sermone viros, quibus arma gerenda.
Hos inter strepitus, iuuenum vox turbida quando
Vincit, & insanas subitus furor iraq; mentes
Caeca tenet, signum caelo dat Phorbus ab alto,
Quo nullum Coculinum oculos populosq; fefellit,
Certius, aut falsa decepit imagine mentes.
Solis ab occasu candenti corpore cycnos
Aethera mulcentes cantu, pennisq; secantes,
Aspiciunt propius sedisse in littore curuo:
Cum subito excitus rapidis exercitus alis
Nigrarum volucrum, vicini Solis ab ortu,
Innocuas inuadit aues, partemq; cruentis
Vnguibus, & partem rostris discerpit acutis:
Artubus hae mare diuulsis, & sanguine foedant,
Ast aliae fugere metu, spatioq; remenso
Turbatae, & caelum, & cantum facto agmine linquunt.
Victores redeunt corui, praedaq; potiti.
Huc omnes vertere oculos, & voce manuq;
Augurium agnoscunt. Sed primus Myndius augur

Hoc

Hoc est illud (ait laetus) mihi credite ciues,
Quod cupitis, tali nobis dij voce loquuntur,
Atque suam trepidis hoc pandunt omine mentem.
Namque vt ab occasu venientes ordine longo
Conuertere fugam paucarum caede volucres,
Grex auium vt melior terra caeloq; fugauit:
Sic, Europa viros quos Solis mittit ad ortum,
Vt mare transmittant velorum audacibus alis,
Sedibus & laeti nostris impune quiescant,
Eoas simul ac vires accenderit ira,
Si stricto insequimur ferro, nec parcimus hosti,
Vela dabunt, cedentq; fuga, & formidine caeca
Optabunt celeres patria se condere terra,
Linquentes vacuas Indis victoribus oras.
Vos agite, insidias, vos bella, necemq; parate:
Optime Alexinda coeptis felicibus insta.
Dixerat. Hic magis extollens ad sidera vocem
It iuuenis, furijsq; nouis accensus & igni:
Fortis equus sic sponte sua fugit impiger: at si
Festinantis heri frenum & calcaria sensit,
Euolat, & leuis effusis ruit actus habenis,
Nant tremulae per colla iubae, micat ardua ceruix.
Talis Alexindas furiato pectore fertur,
Praecipitatq; moras: lectum rapit improbus agmen
In nemora, & tacitus siluis insedit iniquis.
Haud procul e tumulo quo vertex tollitur arcis,
Palmiferos inter montes, pelagiq; fragorem

Vallis erat, curuo anfractu, saltuq; maligno,
Obliquae vicina viae, quae ducit ad vrbem.
Hanc petit, hic se se latebroso in littore miles
Condit, vt ingressis violentior explicet agmen,
Incautosq; dolo teneat, cingatq; corona
Omnem abitum, spes vlla fugae ne detur, & omnes
Expertes opis, imbelles mactentur ad vnum:
Dumq; abeunt armati alij, siluaeq; propinquant,
Ast alij tuto seruantes aggere muros
Stant dubij, egressosq; oculis votisq; sequuntur:
His aliud monstrum obijcitur, nam proxima regis
Quae regio contingit agros, ea puluere caeco
Misceri conspecta procul, pulsuq; ruentum
Visa pedum tremere, armorumq; interstrepit horror
Atque equitum, vocisq; sonus perfertur ad aures.
Imus, opem ferimus, vanas secludite curas.
Arrexere animos Indi, tacitiq; tenent se.
Ater vt accessit propius globus, eminus ipso
Fumanti micat e campo, & densatus in auras
Surgit, & in nubem cogit cum puluere voces.
Acrius attoniti hoc spectant: nec deuia nubes
Longe abijt, Coculini arces & moenia propter
Tollitur, & raptim silua se condit in alta,
Miles vbi ingressus fraudemq; & furta parabat.
Extulit extemplo vocem, nec Myndius omen
Abnuit, &, ducibus dijs (inquit) fidite dextris
Auspicibus coeptorum operum. Iamq; agmina iungunt

Dij socia, & nostras properant defendere terras:
Mox stragem hostili cumulatam caede ciebunt.
Namque velut nigro collectae ex aëre nubes
Et ventos pluuiasq; ferunt, hominumq; labores,
Ac sata, praecipiti euertunt turbata procella:
Haud aliter diuinae acies e nubibus actae
Aetherijs, atros inducent hostibus imbres
Sanguinis, & caeso consternent corpore campos.
Haec fatus, validis firmauit pectora dictis.
At procul Vrlini primis fugientibus astris,
Sollemni prece cum superos in vota vocassent
Vnanimes socij, sacras operantur ad aras
Singuli, & e summo deducunt vertice caeli
Diuina virtute hominum superumq; parentem:
Iamq; animis illum niuea sub nube latentem
Aspectant, audentq; pia contingere dextra:
Hinc dias venerati epulas, viuumq; cruorem,
Suppliciter libant. Tu fortis ARANEA *sacris*
Sedulus aßistis: tibi sanctae accumbere mensae
Illa luce datum: tu CHRISTI *corpore pastus,*
Sanguinis aeterni pateram, sacrumq; liquorem
Aspiciens, procul absistis. Bibat ipse sacerdos
Sanctior, & sacro supplex se proluat auro.
Sic noua vis animis est addita. sic noua cunctis
Laetitia ingenti perfudit pectora sensu.
Laetatus tamen ante omnes FRANCISCVS *(vt aiunt:*
Nam constans hoc fama refert) ANTONIVS. *Illi*

Mos erat, vt quoties aris inferret honorem
Ante DEVM *supplex, toties oraret, vt esset*
Fas sibi testanti superum mysteria terris,
Non nisi diffuso contingere sanguine caelum.
Hoc igitur dum seruat adhuc, dum sedulus vrget,
Sollemnes iteratq; preces (mirabile dictu)
Aureus vndanti visus feruere cruore
Ore tenus, spumaq; calix incanduit atra.
Hoc visum nulli, non ipsi effatus, ad aram
Qui steterat consorsq; precum sacriq; minister,
FRANCISCO. *Affatur superos, vt signa secundent,*
Vtq; nouis CHRISTI *se tollat gloria rebus.*
His actis, iter edicit RODVLPHVS *ad arua*
Proxima, & extremam vicini littoris oram.
Iam, socij, Coculinum (inquit) terrasq; propinquas,
Quae solae castamq; Fidem, & pia sacra retractant,
Visere fert animus. sanctis fundabimus vrbem
Consilijs: stat templa viris, stat ponere leges.
Ipse aderit DEVS *inceptis, & vota iuuabit.*
Vos mihi, vos: parua dudum qui coetus ab vrbe
Vrlino exierit, diuino incensus amore,
Dum CHRISTO *cupit ingratas adiungere gentes:*
Dicite caelicolae: vos o memorate canenti
Nomina magnanimum generosa, & coepta virorum
Fortia: vt immemori Lethaei fluminis vndae
Eripere, & longum valeam transmittere in aeuum:
Ast alij similes audendi immittere curas.

Non

Non decet in tenebris longa sub nocte iacere,
Lumine quae seros accendent visa nepotes.
Primus init RODVLPHVS *iter* AQVIVIVIVS, *ortus*
Antiqua de stirpe Ducum, quos Hadria tollit
Paciferae insignes studio virtutis, & armis.
Hadria magnorum genitrix fecunda virorum,
Hadria, Piceno quae proxima, despicit aequor
Hadriacum, & gaudet priscos iuuisse Quirites
Officio, imperioq; aptum misisse regendo.
It iuxta cómes, & paribus vestigia curis
Figit auis, atauisq; potens ALPHONSVS *Ibera*
PACECCVS *de gente satus, qua moenia praefert*
Inter Anam fuluumq; Tagum fecunda Minaia,
Parua quidem, at vetus, & veteris virtutis alumna,
Hic primis PACECCA *domus dominatur ab annis.*
Tum PETRVS *hos sequitur* BERNAE *cognomine gentis,*
Quem genitum veteres vbi nunc Ascona ruinas,
Et varias ostentat opes, hominumq; labores,
Montibus Alpinis qui fecundissimus exis,
Et pulchrum effuso Ticinum flumine pandis,
Vidisti Verbane lacus, laudemq; vetustis
Hanc etiam Insubrum non paruam laudibus addis.
Te quoque Lysiacis olim dimisit ab oris
Qua Lusitanas inter caput extulit vrbes,
ANTONI FRANCISCE, *vetus onimbrica, cuius*
Munda nitens placido praeterfluit agmine muros,
Et circum illimis felici funditur alueo.

Hic

Hic vrbis miratur opes, gratatur honores,
Agnoscitq; sacras arces, vbi gloria linguae,
Doctaq; Palladias sapientia reddit Athenas:
Perq; sata, & semper viridanti gramine ripas,
In mare purpureum candenti labitur vnda.
Ecce autem florensq; annis, & corpore praestans,
Lysiades pariter, FRANCISCVS ARANEA: *quem gens*
Nobilibus proauis, & GASPAR *auunculus (illi*
Insignes bello: hic aris, templisq; sacerdos
Maximus Indorum, Goana vixit in vrbe)
Sed magis in caelum pietatis gloria tollit.
Ibant hi quinque e socijs, quos nomen IESV
Cui se se dederant, vinclis maioribus arcte
Iunxerat. Hos veluti ductores sponte sequuntur
Externi socij, & comites se patribus addunt.
PAVLVS *it ante alios* ACOSTA, *& ducere gaudet*
Qui se se obtulerant socios, seu sanguine claros
Lysiaco, seu terra ipsa Salsethide natos.
Non equidem non te semper memorande silebo
FRANCISCE *antiquo* RODERICVM *nomine: nec te*
Qui simili studio RODERICVM *nomine eodem*
Fers CONSALVE *gradum, cuius mens nota fidesq; est,*
Publica cum scriptis hominum commercia mandas.
Sed qua vos pueri, qua vos, par nobile, fraude
Praeteream, aut celebri potius quo carmine tollam
DOMNICE & ALPHONSE *insignes virtutibus ambo?*
Aetas parua quidem, at pietas animusq; virilis,
Et

Et studium, CHRISTI *laudes inflectere cantu.*
Talis ab Vrlini coetus se fuderat vrbe
Et Coculinum agros medio iam Sole petebat:
Quinquaginta omnes numero: CHRISTVM*q; vocabant*
Custodemq; ducemq; viae: iamq; arua tenebant
Proxima, qua surgit tumulus, siluaq; frequenti
Cingitur: hic primo aduersis e moenibus vrbis
Ora tenent intenti animis, & sera morantes
Promissa, expectant, dum quis se afferret ab vrbe
Obuius, & gentis certissima verba referret.
RODVLPHVM *interea & socios ea cura premebat*
Templum vbi construerent, vbi signum extollere possent
Victricis de more CRVCIS, *quae visa volucres*
Arceat Infernas, iactanda vt semina, diris
Vnguibus eruere, aut tenero cum crescere culmo
Incipient, auido nequeant distringere morsu.
Hoc primum tumulo CRVX *sese vertice tollet*
Aërio: hic templum, hic vrbi decus omne futurum:
Ille nouam CHRISTI *sobolem locus aptus alendo:*
Hic miseris erit aerumnis, inopiq; senectae
Perfugium, hic taetros depellent languida morbos
Corpora, vel portum inuenient placidamq; quietem.
Hic caeci, hic manci, pueriq; parentibus orbi:
At sedes ea virginibus cum dote locandis.
Haec secum socij, quae nunc licet irrita venti
Omnia discerpant, docuit post exitus ipsos
Omnia deuoti pretio meruisse cruoris.

Talibus

Talibus intenti magnis de rebus agebant.
At Coculinum acies iamdudum infesta tenebat
Culmina, & iniiciens se se per operta viarum
Sepserat ignaros, armis, nemorumq; latebris.
Interea superum solio regnator ab alto
Et mare veliuolum & terras populosq; tuetur:
Quem reges circum innumeri fulsere coruscis
Sedibus, & quamquam non est decor omnibus idem,
Sed triplici discreta gradu terna agmina ternis
Ordinibus visenda nitent, tamen omnibus ingens
Laetitia, & vario collucet lumine Olympus.
Qualis vbi infecit, cum mille coloribus arcum
Sol pluuium, caelo nubes aduersa refulsit.
Ergo sidereis dum totum ex arcibus orbem
Despicit Omnipotens, Solis se vertit ad ortus.
Aspicit hic Asiae fines terraq; mariq;.
Namque fluentisono praetexit littore pontus
Oram illam, quam Persis arat, quam Hyrcania pandit,
Et quam turiferis Panchaïa ditat arenis.
Terram autem mediam, dorsum qua subrigit, ingens
Taurus habet, quatit ille caput, flexuque recuruo
Trans maria & terras abitum meditatus in altum
Cornua sustollit: sed tu Maeoti paludes
Obiicis: hic porro vt multis bacchatus in oris
Fronte minax, tergoq; tumens, sibi nomina finxit
Plurima, toruus adhuc Riphaeam euadit ad arcem:
Inde ferox iterum sublato pectore saeuit,

Atque

Atque aduersa iterum molitur rumpere claustra.
Haec spectat Devs *ex alto: nec Media tantum*
Visa mouet, pictiq; Arabes, mollesq; Sabaei,
Aut Persae, aut Cilicum populi, Nabathaeaq; regna.
Aut Nomades, Parthiq; truces, Seresq;, Phrygesq;,
Quosque Asiae seu campus alit, siue alluit aequor,
Quantum in prospectu Indorum, Goaq; moratur.
Aspicit extrema socios Salsethide, septos,
Dum summis de rebus agunt, hostilibus armis,
Ac morti obiectos. Hoc tanto cardine rerum
Militiam ciet aeternam, lectasq; cohortes
Admonet, & laetis terrae spectacula pandit.
Pandit enim, quando ipse sua sub imagine formas
Rerum aperit, firmatq; aciem: Quid namque videre
Omnia iam prohibet mentes, quae cuncta videntem
Et lucis caput aeternae fontemq; tuentur?
Haud aliter leui in speculo, qui lumina fixit,
Omnia prospectat, quorum simulacra feruntur
Obuia, cum visus acies se recta reflectit.
Ante alios prius appellat, qui legibus iisdem
Votis & paribus, breuior dum vita manebat,
Rebus vt impositum praestarent nomen Iesv,
Optarunt facilem multis monstrare salutem
Gentibus, & verae docuerunt praemia vitae,
Atque pias animos iuuenum excoluere per artes.
Consurgunt extemplo omnes: Ignativs *inter*
Omnes conspicitur, cuius de pectore sacro

Terna nitent Graijs descripta elementa figuris,
Dulce salutiferi prodentia nomen IESV.
Quantus in ore decor? medium laetissimus illum
Coetus habet, gaudetq; viro: quosque aemula virtus
Exacuit stimulis castae pietatis, & vna
Lege, DEI *sociauit honos, & foedere iunxit,*
Hos studijs iuuat, & precibus. Quae cura salutem
Procurare hominum, superosq; extollere cultus
Ante fuit, cum terra graues circumdedit artus,
Haec eadem sequitur caeli super arce repostos,
Cura licet nulla afficiat formidine mentes.
Nec minus & niueo vestitu insignis & auro
FRANCISCVS *caput extollit* XAVERIVS *alte:*
Et procul aspectat quaesitos cernuus Indos.
Proximus huic PETRVS *forma pulcherrimus oris*
Stat FABER *intentis oculis, socijq;* LAINIS
Mentibus aequa sedent IACOBI *gaudia. Nec tu*
IAIE *abes hinc* CLAVDI, *visum ve explere, videndo*
Cuncta, potis, sociosq; mones, qui pectore toto,
Toto animo, tota defigunt lumina mente
In lucem conuersa sacram. CODVRIVS *illa,*
Illa PASCHASIVS *capitur. Gaudebat & ipse*
Haec SIMON *cupide aspectans* RODERICVS, *& vna*
Mergebatq; oculos, dulcemq; bibebat amorem.
Talis in immenso se mobilis aequore piscis
Fert medium exultans pelago, gestitq; natando:
Et tantum occurrunt maria undique, & undique fluctus.

Haec tibi cernenti quae mens FRANCISCE, *quis ardor*
BORGIA? *quam iuuat ingenti ditione relicta,*
Atque opibus, temnentem aulas & munera regum,
Principis exemplum CHRISTI, *vocemq; secutum,*
Pauperis in tuguri vitam duxisse latebris?
Quam steterunt paruo tam magna haec praemia? tecum
Admiratus ais. Mutandum saepius orbis
Totius imperium hac vna mercede fuisset.
Audijt haec, veri qui magno incensus amore
EVERARDVS *alit flagranti incendia mente,*
Et nihil a tanto declinat lumina visu,
Sed nec fronte tegit flammati pectoris aestus.
Omnibus his decus eximium, mens omnibus vna,
Omnes laetifico declarant gaudia vultu,
Cum DEVS *ostendit socios sancire profuso*
Sanguine, quam sermone Fidem docuere, paratos.
Illi autem vnanimes expectant tempore longo
Dum se forte aliquis vicina ex vrbe profectus
Offerat, & iuuenem aspiciunt, qui multa mouenti,
Ac maesto similis, causas praetexit inanes
Priuatis incensae odijs, scissaeq; repente
Vrbis, & exortos conantis sistere motus.
Vix ea, cum properans abijt. Mirabile visum
Omnibus hoc: nec tuta fides. Tamen vsque morantur
Designantq; locum temploq; CRVCIq; locandae:
(Audijt haec aliquis nimirum & rettulit hosti)
Nec grauiora timent. Sed dum procedere pergunt,

Conspiciunt procul ecce virum, qua proxima silua est,
Illorum e numero quorum parere monentum
Augurijs soliti Coculini, ac figere dicta
Mentibus, & stulti vocitare oracula diuum.
Ille quidem se se lymphata mente ferebat
Corpus agens, rabidumq; caput cum lumine circum
Turbidus, & rapto conspergit puluere caelum.
Dein siluas clamore replet, nec clarior omnis
Auditur sonitus, vox tamen haec perculit aures.
Decidit in casses, manibus iam praeda tenetur,
Nulla fugae ratio, iam nunc temerata iuuabit
Templa deum vlcisci, & dirae conuicia gentis.
Quid socij faciant hoc in discrimine tanto,
Iam fragor armorum circum, fremitusq; virorum
Insonat, & magnis caelum terroribus implet:
Tum vero Coculina fides, Stygiaeq; patescunt
Insidiae: & tandem caecis e saltibus hostes
Egressi, paucos densa inclusere corona:
Imbelles ceu saepe agnos genus acre luporum
Obsedere, truci lanient vt viscera morsu.
Signa canunt: iaculumq; volat, non nobile pugnae
Principium, at fraudis, cladisq; insigne futurae.
Terruit haec noua res animos. Nec defuit inter
Omnes, Lysiades qui se conuertit ad arma:
Arma illo e numero solus tum forte gerebat.
Et subito teres ex humero deponitur alnus,
(Cui tubus inseritur directo ex aere cauatus)

Terrificum factura sonum, spiramine paruo
Incenso simul expulerit cum puluere flamma
Fulminis acta modo displosum turbine plumbum.
Iamq; rotam celer igniuomam molitur, & axem
Concitat adducta claui, catulumq; rigentem
Intentam morsu silicem qui sustinet unco
Expedit, ut celeri dissultet machina bombo,
Vulnificusq; chalybs. Quod si non flamma reluxit
Impulsu silicis, trusitq; volatile plumbum,
Obstitit ALPHONSVS. *Non defensoribus istis,*
Non armis hoc tempus eget. nec plura locutus.
Sed placido aspectu rigidos conuersus ad hostes.
Quae vobis, quae tanta viri, quae causa tumultus?
O cohibete iras: vestros ne laedite amicos.
Haec ait, & frustra palmas vtrasque tetendit.
Namque illi nihil effari, sed tendere contra,
Quoq; magis via se pandit, magis agmen inundat,
Et se se agglomerant, atque exhortantur in arma.
Occidat euersor templorum, hostisq; deorum.
Tum stringunt manibus gladios, hastasq; coruscant.
Tempore in hoc quidam RODVLPHO *interritus offert*
Quo mortem depellat equum pernicibus alis,
Atque agitare fugam, siluaq; excedere suadet.
Abnuit oblatum, & socios RODVLPHVS *ad ipsos*
Haec breuiter: nam plura vetat iam proximus hostis.
Quod votis dudum optastis, precibusq; petistis,
O socij, iam tempus adest. Nunc muneris esto

Quisque

Quisque sui, Christiq; memor: nunc magna referto
Facta virum, sibi qui vitam peperere beatam
Sanguine, & aeternos emerunt morte triumphos.
Occidet hoc ferro corpus, terramq; tenebit:
Spiritus aetheriam liber migrabit in aulam.
Fortvnata *Fides, quam mors sacra sanguine signat.*
Talia dicentem circumstant agmine denso,
Et clamore ruunt hostes: nec pulchra tueri
Ora ausus quisquam. Tantum decus enitet ore:
Tantus honor fronti: crudeli vulnere miles
Occupat auersum bis caeso poplite: at ille
Sacra velut certo succumbens victima ferro,
Innixus genibus terram petit, inclinato
Vertice suppliciter, dulcemq; appellat Iesvm,
Cuius amor docuit saeuam contemnere mortem:
Et simul vt collum diducta veste retexit,
Sustinuitq; manu distentas fortiter oras,
Hoc age, nulla mora est, inquit. Nec barbarus ille
Flectitur, at toto sublatum pectore ferrum
Immergit semel atque iterum ceruicibus alte:
Rodvlphvs *recipit. Nec* Iesv *oblitus amorum,*
Et memor exempli, o superum mitissime rector,
Sume, ait, hanc animam, populoq; ignosce furenti.
Gratia magna tibi, pro quo fas ponere vitam.
Haec fatus: nec plura quidem, namque impedit acta
Plaga recens, vocisq; via interclusa cruore est:
Et caput ex humero male fultum vtroque pependit:

Nec

Nec dum etiam cadit exanimis: celer ecce ſagitta
Infixa eſt lateri: ſequitur de vulnere ſanguis
Spumeus, & largo conſpergit flumine terram.
Corpus humi iacuit reſupinum quinque cruentum
Vulneribus: moritur: morientis frigida IESVM
Et MARIAM *nixu ſupremo lingua vocabat.*
Haec fugientem animam notiſſima verba ſequuntur.
Aſpicit haec propius, RODVLPHI *& funere laetus*
Clamat Alexindas, ſic CHRISTO *ponere ſedem,*
Sic CRVCIS *extolli decuit memorabile ſignum:*
Et comites vltro increpitans. Vno ordine habendi
Sunt omnes. quid ſtatis? ait. Non parcimus vlli.
Audijt has voces FRANCISCVS ARANEA: *tum ſe*
Comparat ad ſimiles obitus, CHRISTVMq; *potentem*
Vt ſe etiam clemens dignetur munere tanto,
Et valido tenues confirmet robore vires,
Dum vitam effundat, ſed longa morte, precatur.
Ergo illi, veluti caedis nodumq; moramq;,
RODVLPHO *primum occiſo rectore, tuliſſent,*
In reliquos vertere acies: ſed ARANEA *primos*
Excipit occurſus: huic atro vulnere ferrum,
Qua capiti, laeuoq; humero diſcrimina ſurgunt,
Incidit: at contra confoſſo pectore cuſpis
In ſentes dumosq; iacit: texere cadentem
Molliter, & circum intendunt vmbracula vepres.
Quem perijſſe rati: iam totis viribus vni
BERNO *infeſti odijs, gladijsq; micantibus inſtant.*

Hunc

Hunc meminere deum fumantia ponere templa
Aequa solo, hunc sacrae fibras euellere vaccae.
Ille sed ad caelum mentemq; oculosq; ferebat
Laetus, & hanc veniam extrema cum voce petebat.
CHRISTE, *per hos ego te socios, Matremq; tuam te,*
Perq; animas, quarum conspectu, gaudet Olympus
Vnum oro: si numquam humiles frustrare vocatus:
Fac legum demissa polo lux alma tuarum
Mundum omnem accendat radijs, & cognita caelo
Relligio illustri perfundat lumine terras.
Talibus orantem dictis, caelumq; tuentem
Facta nube premunt hostes, nec digna relatu
Dicta vomunt, circum & strictis mucronibus adsunt.
Non secus horribili vitulum cum forte Molossi
Latratu inuasere, acuunt ad vulnera dentes.
Ille autem illatam recipit per viscera mortem.
Nec mora, letiferum miles ferus exigit ensem
Per medium caput, & caesa ceruice recondit,
Sanguineq; & fuso tepefecit terga cerebro.
En nostros contemne deos: haec praemia, nostra
Templa ausi violare ferunt. Dum talia iactat,
Ecce alius procul elatam consurgit in hastam,
Atque aurem ferit aduersam: ruit ille recedens
In vulnus, tollitq; oculos in morte natantes,
Quaeritet vt caelo lucem, laetusq; reperta
Emicet, & nexos dissoluat spiritus artus.
Tertia feminea dein plaga accessit, & vdum

Perq;

Perq; oculum tempusq; cauum letalis arundo
Peruenit, atque animae mortalia vincula rumpit.
Protinus illa volat. iacuit sine lumine corpus.
Et plures aperit manantes sanguine riuos.
Nec tamen extinguit crudeles morte furores
Barbara gens, odijs pugnat, surdumq; cadauer
Vexat, & incassum repetitis ictibus vrget.
At te, quae rabies, qui mentis corripit error,
Gens fera? & hos BERNVM *censes sentire dolores?*
BERNVS *abit, spoliumq; tibi, miseranda, reliquit.*
Tu furis, & vano terram insectare labore.
Ille DEI *aspectu felix potietur, & aura*
Aetheria. Tamen & laesi est iniuria trunci.
Scilicet is laeto labor est, ea cura beatum
Solicitat. Potius conatus ridet inanes,
Aut animas si forte pias facta impia tangunt,
Et noxas dolet ipse tuas, & crimina damnat.
Interea ALPHONSVS, *dum* PETRVS *detinet hostem,*
Christum animo, Christum ore uocat, Christumq; precando
Mortem optat, sociumq; pares sibi poscit honores.
Nec vero illorum studium-ve aut cura recessit,
Quos iunxit diuinus amor, quos aemula vitae
Et communis habet ratio. Commendat IESV
Sic orans: Da CHRISTE *parens, da* CHRISTE *roganti*
Extrema iam morte, tuo vt qui captus amore,
IGNATI *exemplo, tua dulcia iussa secutus*
Addixit se sponte tibi, vel tempus in omne

Addicet, legisq; sacrat, Fideiq; ministrum,
Ille rudes doceat populos, tua sacra fidemq;
Et studijs vitaq; iuuet, nec morte relinquat,
Et Romana omnem producat iura per orbem.
Audijt haec, iussitq; DEVS *succedere votum.*
Ast illum infensiq; animis, densisq; cruenti,
Cominus inuadunt armis, tum pectora ferro
Traijciunt: rubra iacuit reuolutus arena
PACECCVS, *gladioq; iterum non nescius offert*
Intento iugulum, ruit ille, & viribus actus
Praeualidis, multo rapuit cum sanguine vitam.
Ipse, licet moriens, ridenti gaudia vultu
Praetulit, & pulchra laetatus morte quieuit.
Exitus hic ALPHONSE *tibi, finisq; laborum.*
Iamq; adeo extinctis socijs, ANTONIVS *vnus*
FRANCISCVS *superat, nuper qui tempore capto,*
Corpus vbi exanimum RODVLPHI *sanguine terram*
Imbuerat (dum BERNI *hostes in caede morantur)*
Venerat. Hic autem media inter talia, voti
Quippe memor, caelo palmas oculosq; ferebat,
Atque animam CHRISTO, *votum immortale, sacrabat,*
Proq; Indis illum, ac terra Salsethide, testans,
Sanguis vt innocuus poenam non posceret vllam,
Sed fidei potius donum caeleste, rogabat.
Nec longum in medio tempus: leuis hasta per artus
Acta tremit, sacrumq; caput ferit improbus ensis,
Diffidit & medium, multaq; extendit arena.

Is super

Is ſuper abiectum ſe ſe moriturus amicum
Proijcit, & gaudet ſociato funere victor.
Hoc habet, exclamant, mactata eſt victima diuis:
Inuenere locum, quo templa ingentia condant.
India ſic datur Europae, quaeſita per vndas.
Quin etiam adijcimus comites, ſtragemq; ciemus
Atque hoſtem petimus? Qui praeſens adiuuat hoſtem,
Fas hoſtem numerare. Ingens ferit aethera clamor,
Et legio fert cuncta pedem, circumq; trementes
Et tutum quo ſilua locum, quo deuia furtim
Fert via, ſe trepide abdentes, indagine cingit,
Praecipitesq; metit gladio (nam caetus inermis
Venerat, atque animos ſocijs ante ora peremptis
Demiſere omnes) ſternuntur pallida paſſim
Corpora, tela volant, denſata vt grandine nimbus
Per nemora & campos crepitans ruit omnia late.
Itur in auerſos, numeroq; & robore iniquo:
Imbelles circum, & paucos, ſe plurima turba
Miſcet agens telis, & denſis funditur armis.
Pars caedit, pars victa cadit: certamine Phorbus
It medio, caecamq; fugam, gelidumq; timorem
Chriſticolis, viresq; alasq; ſequentibus addit.
Tu tamen ACOSTA *haud metuis, gladiumq; receptas*
Pectore, & effundis multo cum ſanguine vitam.
Sed non parua tibi ſunt haec ſolatia mortis,
Quod CHRISTI *pro lege cadis: quod ſaepe petebas:*
Et DEVS *eſſe dedit voti caeliq; potentem.*

Vos quoque non timidis RODERICI *paſſibus ambo*
Vertiſtis vaga terga fugae, ſed pectore forti
Militis inſtantis contra, plagamq; ferentis
Mucronem ſubiiſſe iuuat, nec pulſa pudendis
Corpora vulneribus caelo oſtendiſtis amico.
O irae immanes, & inexaturabile vulgus,
Qui modus eſt caedis? Generis vos vincula nulla,
Vos aetas non vlla mouet. Iam patruus, eheu,
Arripit ALPHONSVM *puerum, caedemq; minatur,*
Ni librum abiiciat (librum namque ipſe ferebat
Vnde preces, de more, dies noctesq; ſacerdos
Funderet ALPHONSVS, *orando & duceret horas)*
Abnegat hoc puer ALPHONSVS, *nec ponet vtriſque*
Abſciſis manibus. Fremit acrius, & magis vrget
Barbarus, & dirum, fulgenti deripit ambas
Enſe manus, cecidere ambae, librumq; reſectae
Semianimis retinent digitis: iraſcitur hoſtis
Hoc magis, & poenas inuiſo à ſanguine ſumit.
Namque ferunt cum foeda PETRVS *ſimulacra deorum*
Erueret BERNVS *Coculini in finibus olim,*
ALPHONSI *indiciis oram qui nouerat omnem*
Feciſſe: Hinc patruo poenas odiisq; ſuorum
Dat puer immeritas, & fixo gutture collum
Et captum leto poſuit caput: & cadit ille,
Vt roſa, quam naſcens nimio ſol decutit imbre.
DOMNICVS ALPHONSVM *confoſſo vt corpore vidit*
Exhalantem animam, turbatus imagine mortis,

Incertus

Incertus quid agat, fugiat ne petat ne periclum,
Constitit exanimis, telumq; instare tremiscit:
Tum faciem propior mortem ferrumq; timenti,
Tentat nequicquam celeres extendere gressus,
Sed dolor, & gelida prohibet formidine sanguis.
Huc periture veni, cursuq; & voce secutus
Miles ait, comitem ne desere: dicere versus
Vos soliti, alternis, iunctis aut vocibus ambo,
Ite ambo, laudesq; DEO *persoluite vestro.*
Dixerat, & tenerum latus inter & ilia ferrum
Condit, & ALPHONSI *rapiens ad flebile corpus,*
Alterum in alterius proiectum funere voluit.
Ille manus tendit, dulcem complexus amicum.
Et visus sensisse alter, blandeq; recepit.
Quae vobis, quae nunc, pueri, pro laudibus istis
Carmina persoluam? Meritas mea carmina laudes
Deficiunt, vestraq; dabunt nihil indole dignum.
Sed vobis laus certa manet: pulcherrima magnus
Dona dedit CHRISTVS, *superumq; adiunxit honori:*
Et vestrum admirans venerabitur India nomen,
In mare praecipiti dum flumine profluet Indus.
At parte ex alia FRANCISCVS ARANEA *postquam*
Ad se se rediit crudeli e vulnere vitae
Ille nihil cupidus, se post dumeta tegebat.
Sed magis exemplo sociorum, & morte decora
Incensus, tales fundebat ad aethera voces.
CHRISTE *hominum lucisq; parens, auctorq; salutis,*

Cuius

Cuius ob augustum nomen, numenq; supremum,
Innumerae plerumque acies matrumq; virumq;
Virginibus misti & pueri, contemnere vitam,
Perq; ignes & tela ferae se opponere morti.
Gaudentes, agni lauerunt sanguine vestes;
Quae superant candore niues: caeliq; serena
Nunc e parte, DEI aspectu & splendore fruuntur.
En pater, en, socios, Fideiq; & funeris almi
Consortes das esse illis: ego deseror. An me
Insigni magis exitio Pater alme reseruas?
Sic oro: modo tu robur viresq; ministres.
Si mihi sint animae centum, sint corpora centum,
Haud omnes equidem per mortes fundere vitas
Omnes addubitem, verso licet ordine vita
In mortem reditura nouam de funere surgat.
Tu monitor, tu namque graues in morte dolores
Sensisti, & toto confossus corpore plagis
Mortiferis, per mille vias fudisse cruorem
Non contentus, adhuc fluidi ne sanguinis esset
Stilla super, cum saeua animam sub caede dedisses,
Passus es & rigida transfigi cuspide pectus:
Et roseam erupit specus atri vulneris vndam.
Nunc vnum est tantum, mutilatum vulnere corpus,
Vna anima hoc tenui dependet corpore filo:
Et periisse semel satis est. Pater optime saepe
Quod nequeo, da posse diu: Mortalia quamquam
Quid possunt praestare diu? Da funere duci

Multi-

Multiplici corpus: da crebro vulnere poni
Hanc tibi iam deuotam animam. Non durior vllus
Esse labor, non vlla potest aerumna videri
Longior, aeternae petitur cum gloria vitae.
Lumina, sic memorans, caelo defixa tenebat.
Et iam finis erat caedis, iam corpora deerant
Quae caderent, paucíq; olim loca tuta tenebant:
Cum versi ad tumulum celeres tepidumq; recenti
Caede locum, haud cessant verbis illudere BERNVM,
Et socios: numerant illorum corpora: quintus
Poscitur, hunc oculis quaerunt, hunc voce lacessunt.
Nec licuit quaesisse diu: nec defuit index.
Et claram vt potuit FRANCISCVS *tollere, vocem*
Per medios sparso rorantes sanguine vepres,
Cum capite extollit. Me me vnum quaeritis adsum,
Explebo numerum, socium reddarq; cohorti.
Dixit. at insani concurrunt protinus hostes,
Laetitiaq; fremunt, magnoq; vlulante tumultu
E densa extractum silua medio agmine sistunt
Vix stantem pedibus. Multo iam sanguine corpus
Labitur, ast animus labenti in corpore praesens
Nil trepidat: licet ora, humeros, & pectora pulsent
Infestis manibus, telisq; horrentibus instent.
Hic etiam vt primos satiauit quisque furores,
Agnoscis socios, agnoscis templa, CRVCEMQ;:
Hic locus est: illo tolluntur ab aggere muri.
Quod tibi si quicquam est mentis, nos respice tandem,

Conspiciunt procul ecce virum, qua proxima silua est,
Illorum e numero quorum parere monentum
Augurijs soliti Coculini, ac figere dicta
Mentibus, & stulti vocitare oracula diuum.
Ille quidem se se lymphata mente ferebat
Corpus agens, rabidumq; caput cum lumine circum
Turbidus, & rapto conspergit puluere caelum.
Dein siluas clamore replet, nec clarior omnis
Auditur sonitus, vox tamen haec perculit aures.
Decidit in casses, manibus iam praeda tenetur,
Nulla fugae ratio, iam nunc temerata iuuabit
Templa deum vlcisci, & dirae conuicia gentis.
Quid socij faciant hoc in discrimine tanto,
Iam fragor armorum circum, fremitusq; virorum
Insonat, & magnis caelum terroribus implet:
Tum vero Coculina fides, Stygiaeq; patescunt
Insidiae: & tandem caecis e saltibus hostes
Egressi, paucos densa inclusere corona:
Imbelles ceu saepe agnos genus acre luporum
Obsedere, truci lanient vt viscera morsu.
Signa canunt: iaculumq; volat, non nobile pugnae
Principium, at fraudis, cladisq; insigne futurae.
Terruit haec noua res animos. Nec defuit inter
Omnes, Lysiades qui se conuertit ad arma:
Arma illo e numero solus tum forte gerebat.
Et subito teres ex humero deponitur alnus,
(Cui tubus inseritur directo ex aere cauatus)

Terri-

Terrificum factura sonum, spiramine paruo
Incenso simul expulerit cum puluere flamma
Fulminis acta modo displosum turbine plumbum.
Iamq; rotam celer igniuomam molitur, & axem
Concitat adducta claui, catulumq; rigentem
Intentam morsu silicem qui sustinet vnco
Expedit, vt celeri dissultet machina bombo,
Vulnificusq; chalybs. Quod si non flamma reluxit
Impulsu silicis, trusitq; volatile plumbum,
Obstitit ALPHONSVS. *Non defensoribus istis,*
Non armis hoc tempus eget. nec plura locutus.
Sed placido aspectu rigidos conuersus ad hostes.
Quae vobis, quae tanta viri, quae causa tumultus?
O cohibete iras: vestros ne laedite amicos.
Haec ait, & frustra palmas vtrasque tetendit.
Namque illi nihil effari, sed tendere contra,
Quoq; magis via se pandit, magis agmen inundat,
Et se se agglomerant, atque exhortantur in arma.
Occidat euersor templorum, hostisq; deorum.
Tum stringunt manibus gladios, hastasq; coruscant.
Tempore in hoc quidam RODVLPHO *interritus offert*
Quo mortem depellat equum pernicibus alis,
Atque agitare fugam, siluaq; excedere suadet.
Abnuit oblatum, & socios RODVLPHVS *ad ipsos*
Haec breuiter: nam plura vetat iam proximus hostis.
Quod votis dudum optastis, precibusq; petistis,
O socij, iam tempus adest. Nunc muneris esto

Quisque sui, CHRISTIq; *memor: nunc magna referto*
Facta virum, sibi qui vitam peperere beatam
Sanguine, & aeternos emerunt morte triumphos.
Occidet hoc ferro corpus, terramq; tenebit:
Spiritus aetheriam liber migrabit in aulam.
FORTVNATA *Fides, quam mors sacra sanguine signat.*
Talia dicentem circumstant agmine denso,
Et clamore ruunt hostes: nec pulchra tueri
Ora ausus quisquam. Tantum decus enitet ore:
Tantus honor fronti: crudeli vulnere miles
Occupat auersum bis caeso poplite: at ille
Sacra velut certo succumbens victima ferro,
Innixus genibus terram petit, inclinato
Vertice suppliciter, dulcemq; appellat IESVM,
Cuius amor docuit saeuam contemnere mortem:
Et simul vt collum diducta veste retexit,
Sustinuitq; manu distentas fortiter oras,
Hoc age, nulla mora est, inquit. Nec barbarus ille
Flectitur, at toto sublatum pectore ferrum
Immergit semel atque iterum ceruicibus alte:
RODVLPHVS *recipit. Nec* IESV *oblitus amorum,*
Et memor exempli, o superum mitissime rector,
Sume, ait, hanc animam, populoq; ignosce furenti.
Gratia magna tibi, pro quo fas ponere vitam.
Haec fatus: nec plura quidem, namque impedit acta
Plaga recens, vocisq; via interclusa cruore est:
Et caput ex humero male fultum vtroque pependit:

Nec

Nec dum etiam cadit exanimis: celer ecce sagitta
Infixa est lateri: sequitur de vulnere sanguis
Spumeus, & largo conspergit flumine terram.
Corpus humi iacuit resupinum quinque cruentum
Vulneribus: moritur: morientis frigida IESVM
Et MARIAM *nixu supremo lingua vocabat.*
Haec fugientem animam notissima verba sequuntur.
Aspicit haec propius, RODVLPHI *& funere laetus*
Clamat Alexindas, sic CHRISTO *ponere sedem,*
Sic CRVCIS *extolli decuit memorabile signum:*
Et comites vltro increpitans. Vno ordine habendi
Sunt omnes. quid statis? ait. Non parcimus vlli.
Audijt has voces FRANCISCVS ARANEA: *tum se*
Comparat ad similes obitus, CHRISTVMq; *potentem*
Vt se etiam clemens dignetur munere tanto,
Et valido tenues confirmet robore vires,
Dum vitam effundat, sed longa morte, precatur.
Ergo illi, veluti caedis nodumq; moramq;,
RODVLPHO *primum occiso rectore, tulissent,*
In reliquos vertere acies: sed ARANEA *primos*
Excipit occursus: huic atro vulnere ferrum,
Qua capiti, laeuoq; humero discrimina surgunt,
Incidit: at contra confosso pectore cuspis
In sentes dumosq; iacit: texere cadentem
Molliter, & circum intendunt vmbracula vepres.
Quem perijsse rati: iam totis viribus vni
BERNO *infesti odijs, gladijsq; micantibus instant.*
Hunc

Hunc meminere deum fumantia ponere templa
Aequa solo, hunc sacrae fibras euellere vaccae.
Ille sed ad caelum mentemq; oculosq; ferebat
Laetus, & hanc veniam extrema cum voce petebat.
CHRISTE, *per hos ego te socios, Matremq; tuam te,*
Perq; animas, quarum conspectu, gaudet Olympus
Vnum oro: si numquam humiles frustrare vocatus:
Fac legum demissa polo lux alma tuarum
Mundum omnem accendat radijs, & cognita caelo
Relligio illustri perfundat lumine terras.
Talibus orantem dictis, caelumq; tuentem
Facta nube premunt hostes, nec digna relatu
Dicta vomunt, circum & strictis mucronibus adsunt.
Non secus horribili vitulum cum forte Molossi
Latratu inuasere, acuunt ad vulnera dentes.
Ille autem illatam recipit per viscera mortem.
Nec mora, letiferum miles ferus exigit ensem
Per medium caput, & caesa ceruice recondit,
Sanguineq; & fuso tepefecit terga cerebro.
En nostros contemne deos: haec praemia, nostra
Templa ausi violare ferunt. Dum talia iactat,
Ecce alius procul elatam consurgit in hastam,
Atque aurem ferit aduersam: ruit ille recedens
In vulnus, tollitq; oculos in morte natantes,
Quaeritet vt caelo lucem, laetusq; reperta
Emicet, & nexos dissoluat spiritus artus.
Tertia feminei dein plaga accessit, & vdum

Perq;

Perq; oculum tempusq; cauum letalis arundo
Peruenit, atque animae mortalia vincula rumpit.
Protinus illa volat. iacuit sine lumine corpus.
Et plures aperit manantes sanguine riuos.
Nec tamen extinguit crudeles morte furores
Barbara gens, odijs pugnat, surdumq; cadauer
Vexat, & incassum repetitis ictibus vrget.
At te, quae rabies, qui mentis corripit error,
Gens fera? & hos BERNVM *censes sentire dolores?*
BERNVS *abit, spoliumq; tibi, miseranda, reliquit.*
Tu furis, & vano terram insectare labore.
Ille DEI *aspectu felix potietur, & aura*
Aetheria. Tamen & laesi est iniuria trunci.
Scilicet is laeto labor est, ea cura beatum
Solicitat. Potius conatus ridet inanes,
Aut animas si forte pias facta impia tangunt,
Et noxas dolet ipse tuas, & crimina damnat.
Interea ALPHONSVS, *dum* PETRVS *detinet hostem,*
Christum animo, Christum ore uocat, Christumq; precando
Mortem optat, sociumq; pares sibi poscit honores.
Nec vero illorum studium-ve aut cura recessit,
Quos iunxit diuinus amor, quos aemula vitae
Et communis habet ratio. Commendat IESV
Sic orans: Da CHRISTE *parens, da* CHRISTE *roganti*
Extrema iam morte, tuo vt qui captus amore,
IGNATI *exemplo, tua dulcia iussa secutus*
Addixit se sponte tibi, vel tempus in omne

Addicet, legisq; sacrae, Fideiq; ministrum,
Ille rudes doceat populos, tua sacra fidemq;
Et studijs vitaq; iuuet, nec morte relinquat,
Et Romana omnem producat iura per orbem.
Audijt haec, iussitq; DEVS *succedere votum.*
Ast illum infensiq; animis, densisq; cruenti
Cominus inuadunt armis, tum pectora ferro
Traijciunt: rubra iacuit reuolutus arena.
PACECCVS, *gladioq; iterum non nescius offert*
Intento iugulum, ruit ille, & viribus actus
Praeualidis, multo rapuit cum sanguine vitam.
Ipse, licet moriens, ridenti gaudia vultu
Praetulit, & pulchra laetatus morte quieuit.
Exitus hic ALPHONSE *tibi, finisq; laborum.*
Iamq; adeo extinctis socijs, ANTONIVS *vnus*
FRANCISCVS *superat, nuper qui tempore capto,*
Corpus vbi exanimum RODVLPHI *sanguine terram*
Imbuerat (dum BERNI *hostes in caede morantur)*
Venerat. Hic autem media inter talia, voti
Quippe memor, caelo palmas oculosq; ferebat,
Atque animam CHRISTO, *votum immortale, sacrabat,*
Proq; Indis illum, ac terra Salsethide, testans,
Sanguis vt innocuus poenam non posceret vllam,
Sed fidei potius donum caeleste, rogabat.
Nec longum in medio tempus: leuis hasta per artus
Acta tremit, sacrumq; caput ferit improbus ensis,
Diffidit & medium, multaq; extendit arena.

Is super

Is super abiectum se se moriturus amicum
Proijcit, & gaudet sociato funere victor.
Hoc habet, exclamant, mactata est victima diuis:
Inuenere locum, quo templa ingentia condant.
India sic datur Europae, quaesita per vndas.
Quin etiam adijcimus comites, stragemq; ciemus
Atque hostem petimus? Qui praesens adiuuat hostem,
Fas hostem numerare. Ingens ferit aethera clamor,
Et legio fert cuncta pedem, circumq; trementes
Et tutum quo silua locum, quo deuia furtim
Fert via, se trepide abdentes, indagine cingit,
Praecipitesq; metit gladio (nam caetus inermis
Venerat, atque animos socijs ante ora peremptis
Demisere omnes) sternuntur pallida passim
Corpora, tela volant, densata vt grandine nimbus
Per nemora & campos crepitans ruit omnia late.
Itur in auersos, numeroq; & robore iniquo:
Imbelles circum, & paucos, se plurima turba
Miscet agens telis, & densis funditur armis.
Pars caedit, pars victa cadit: certamine Phorbus
It medio, caecamq; fugam, gelidumq; timorem
Christicolis, viresq; alasq; sequentibus addit.
Tu tamen ACOSTA *haud metuis, gladiumq; receptas*
Pectore, & effundis multo cum sanguine vitam.
Sed non parua tibi sunt haec solatia mortis,
Quod CHRISTI *pro lege cadis: quod saepe petebas:*
Et DEVS *esse dedit voti caeliq; potentem.*

Vos quoque non timidis RODERICI *passibus ambo*
Vertistis vaga terga fugae, sed pectore forti
Militis instantis contra, plagamq; ferentis
Mucronem subijsse iuuat, nec pulsa pudendis
Corpora vulneribus caelo ostendistis amico.
O irae immanes, & inexaturabile vulgus,
Qui modus est caedis? Generis vos vincula nulla,
Vos aetas non ulla mouet. Iam patruus, eheu,
Arripit ALPHONSVM *puerum, caedemq; minatur,*
Ni librum abijciat (librum namque ipse ferebat
Vnde preces, de more, dies noctesq; sacerdos
Funderet ALPHONSVS, *orando & duceret horas)*
Abnegat hoc puer ALPHONSVS, *nec ponet utrisque*
Abscisis manibus. Fremit acrius, & magis urget
Barbarus, & dirum, fulgenti deripit ambas
Ense manus, cecidere ambae, librumq; resectae
Semianimis retinent digitis: irascitur hostis
Hoc magis, & poenas inuiso à sanguine sumit.
Namque ferunt cum foeda PETRVS *simulacra deorum*
Erueret BERNVS *Coculini in finibus olim,*
ALPHONSI *indicijs oram qui nouerat omnem*
Fecisse: Hinc patruo poenas odijsq; suorum
Dat puer immeritas, & fixo gutture collum
Et captum leto posuit caput: & cadit ille,
Vt rosa, quam nascens nimio sol decutit imbre.
DOMINICVS ALPHONSVM *confosso ut corpore vidit*
Exhalantem animam, turbatus imagine mortis,

Incertus quid agat, fugiat ne petat ne periclum,
Constitit exanimis, telumq; instare tremiscit:
Tum faciem propior mortem ferrumq; timenti,
Tentat nequicquam celeres extendere gressus,
Sed dolor, & gelida prohibet formidine sanguis.
Huc periture veni, cursuq; & voce secutus
Miles ait, comitem ne desere: dicere versus
Vos soliti, alternis, iunctis aut vocibus ambo,
Ite ambo, laudesq; DEO *persoluite vestro.*
Dixerat, & tenerum latus inter & ilia ferrum
Condit, & ALPHONSI *rapiens ad flebile corpus,*
Alterum in alterius proiectum funere voluit.
Ille manus tendit, dulcem complexus amicum.
Et visus sensisse alter, blandeq; recepit.
Quae vobis, quae nunc, pueri, pro laudibus istis
Carmina persoluam? Meritas mea carmina laudes
Deficiunt, vestraq; dabunt nihil indole dignum.
Sed vobis laus certa manet: pulcherrima magnus
Dona dedit CHRISTVS, *superumq; adiunxit honori:*
Et vestrum admirans venerabitur India nomen,
In mare praecipiti dum flumine profluet Indus.
At parte ex alia FRANCISCVS ARANEA *postquam*
Ad se se rediit crudeli e vulnere vitae
Ille nihil cupidus, se post dumeta tegebat.
Sed magis exemplo sociorum, & morte decora
Incensus, tales fundebat ad aethera voces.
CHRISTE *hominum lucisq; parens, auctorq; salutis,*

Cuius

Cuius ob augustum nomen, numenq; supremum,
Innumerae plerumque acies matrumq; virumq;
Virginibus misti & pueri, contemnere vitam,
Perq; ignes & tela ferae se opponere morti.
Gaudentes, agni lauerunt sanguine vestes;
Quae superant candore niues: caeliq; serena
Nunc e parte, DEI aspectu & splendore fruuntur.
En pater, en, socios, Fideiq; & funeris almi
Consortes das esse illis: ego deseror. An me
Insigni magis exitio Pater alme reseruas?
Sic oro: modo tu robur viresq; ministres.
Si mihi sint animae centum, sint corpora centum,
Haud omnes equidem per mortes fundere vitas
Omnes addubitem, verso licet ordine vita
In mortem reditura nouam de funere surgat.
Tu monitor, tu namque graues in morte dolores
Sensisti, & toto confossus corpore plagis
Mortiferis, per mille vias fudisse cruorem
Non contentus, adhuc fluidi ne sanguinis esset
Stilla super, cum saeua animam sub caede dedisses,
Passus es & rigida transfigi cuspide pectus:
Et roseam erupit specus atri vulneris vndam.
Nunc vnum est tantum, mutilatum vulnere corpus,
Vna anima hoc tenui dependet corpore filo:
Et periisse semel satis est. Pater optime saepe
Quod nequeo, da posse diu: Mortalia quamquam
Quid possunt praestare diu? Da funere duci

Multi-

Multiplici corpus: da crebro vulnere poni
Hanc tibi iam deuotam animam. Non durior vllus
Esse labor, non vlla potest aerumna videri
Longior, aeternae petitur cum gloria vitae.
Lumina, sic memorans, caelo defixa tenebat.
Et iam finis erat caedis, iam corpora deerant
Quae caderent, paucique olim loca tuta tenebant:
Cum versi ad tumulum celeres tepidumque recenti
Caede locum, haud cessant verbis illudere BERNVM,
Et socios: numerant illorum corpora: quintus
Poscitur, hunc oculis quaerunt, hunc voce lacessunt.
Nec licuit quaesisse diu: nec defuit index.
Et claram vt potuit FRANCISCVS *tollere, vocem*
Per medios sparso rorantes sanguine vepres,
Cum capite extollit. Me me vnum quaeritis adsum,
Explebo numerum, socium reddarque cohorti.
Dixit. at insani concurrunt protinus hostes,
Laetitiaque fremunt, magnoque vlulante tumultu
E densa extractum silua medio agmine sistunt
Vix stantem pedibus. Multo iam sanguine corpus
Labitur, ast animus labenti in corpore praesens
Nil trepidat: licet ora, humeros, & pectora pulsent
Infestis manibus, telisque horrentibus instent.

Hic etiam vt primos satiauit quisque furores,
Agnoscis socios, agnoscis templa, CRVCEMque:
Hic locus est: illo tolluntur ab aggere muri.
Quod tibi si quicquam est mentis, nos respice tandem,

Obli-

Oblitumq; tui, nunc iam obliuiscere IESVM.
Talia Alexindas, cunctiq; immane fremebant.
Ille sub haec. Socij viuunt, & sanguine sacro
Descripsere locum templo, nec CHRISTVS *amoris*
Immemor est nostri, telis non terreor istis,
Quae pacem mihi promittunt, vitamq; quietam.
Vos potius miseri resipiscite. Dixerat. Olli
Exarsere omnes animis, magnaq; prehensum
Vi rapiunt ad sedem humilem, qua turpis imago
Monstri Tartarei non longe a moenibus vrbis
Visitur. Huc tota veniunt ex vrbe frequentes
Exciti pueri & matres, pulsoq; timore
Vocibus incendunt caelum, gaudentq; tuendo
Pallentem iuuenis vultum, risuq; sequuntur.
Hinc veluti vario perflant cum cardine venti,
Vox confusa ruit. Nostras euadere demens
Ne spera te posse manus: venerata salutem
Haec tantum dabit effigies. lacrimabile vulgus,
Exclamans FRANCISCVS *ait, num debile saxum,*
Cui licet, ora, pedes, oculiq;, auresq;, manusq;
Non vllas audire vmquam, nec fingere voces,
Non spectare aliquid, nec quoquam tendere gressum,
Nil demum tractare valet, delusus inani
Mente colam? & similis vestri me verterit error?
Non ita me docuit CHRISTVS *meus & pater, & rex:*
Vera DEI *proles. Quin vos mendacia tandem*
Mittite, & insanos miseri dediscite ritus.

Ne vos

Ne vos praecipites sub saeua incendia mittant.
Hic vibi perpetuos ducetis fletibus annos,
Ardentes lacrimis, & dentibus infrendentes.
Hic magis incensi proturbant calcibus, ictus
Ingeminant, volitatq; humerosq; & tempora circum
Crebra manus, donec multo sub verbere corpus
Concidit inualidum. Rursus gliscente furore
Incurrere truces. Bis magno turbine raptus
Circum aedem trahitur: raptatur corpus, at ipsa
Mens immota manet, CHRISTVMq; inuicta fatetur.
Illi ardent furijs, longoq; affligere leto
Constituunt iuuenem, & tumuli super aggere ponunt:
Inuitantq; animos humiles, & debile robur
Vocibus incendunt. Nunc nunc intendite tela,
Nunc odijs opus est: vestras nunc promite vires
Et pueri, & matres, pietatem pectore toto
Pellite, crudeles hac vna in caede fuisse
Pars summae pietatis erit; sic templa deosq;
Vlcisci decet, ac dignas deposcere poenas.
Gratior hac numquam cecidit dijs victima ad aras.
E quinque hic superest vnus. quid parcitis vni?
Caedite, missilibus configite, dedite morti.
Talibus accensae matres hortatibus vnum
In iuuenem paribusq; odijs furijsq; feruntur.
Vexantum ceu saepe canes clamoribus actae
Setigerum ve petunt aprum, fuluum ve leonem.
Ergo illae, & iacula intorquent, verbisq; procaces

Acribus irritant pueros. Hi saxa sudesq;
*(*NAM *rapuit quodcumque manus telum aestimat ira)*
Non secus ac valido durantes brachia iactu,
Cum certant iaculo certum contingere signum,
Coniiciunt, viresq; suas testantur, & artem.
Quin etiam has iactant tela inter singula voces.
Conditur his templum saxis: his lignea ramis
CRVX *surgit tumulo. Cape iam, Cape digna deorum*
Praemia, quos nostra speras depellere terra.
Ille autem caelum intendens, vix vulnera sentit
Plurima, letiferos animo superante dolores.
O Pater omnipotens, quas possum dicere grates
Pro Nato qui posse tuo me hoc ducere letum
Dignatus, tales voluisti corpore poenas
Posse pati, laetanti animo? Pater, adde dolorem,
Adde etiam patientem animum, Fideiq; tenacem.
Argue nec sceleris populum, quem decipit error.
Vix ea. Cum iuuenis crocea velatus ab alto
Veste venit, sertumq; virens insignia palmae
Nobilis ostentans. O caeli aucture triumphos
Miles, ait, persta, & summis ne defice rebus.
VICTORI *datur aeterna cum laude corona.*
Ergo nec iuuenis corpus subsistere tantum,
Nec potis est animus: totum seges aerea texit
Iamdudum: ipsi etiam quando iuuenesq; senesq;,
Quis melior sanguis, solidaeq; in pectore vires,
Vnius in corpus defigunt spicula. nec se

Abstinuit penitus FRANCISCI *a vulnere quisquam.*
Ipse graues hic tandem obitus miseratus ab arce
Siderea CHRISTVS, *superis spectantibus vltro*
Laudibus extollit iuuenem, nutuq; benigno
Pulchram animam vocat ad se se. Volat Indica myrtus
Interea, & nexus dissoluens corporis, illum
Immolat, & socium laetantem mentibus addit.

FINIS.

FRANCISCI BENCII

QVINQVE MARTYRVM LIBER SEXTVS

VIx adeo exierat diſſecto corpore victor
Spiritus, & tenues auras, lucemq; tenebat:
Sicut auis, laqueo impedijt quam callidus auceps
Euolat, vt nodos & linea vincula rupit.
Cum pulchrae ſociorum animae, quas candida nubes
Lumine, vt aurato veſtis ſubtegmine cinxit,
Gaudentem plauſu excipiunt, laetaeq; recepto
Caelitibus circum volitantibus agmine longo,
Et grates dixere DEO, *cantusq; dedere:*
Et ſimul in caelum parta iam pace feruntur.
Limes erat late gemmis illuſus & auro.

Difficili adscensu. multi potuere vocati
Ferre gradum, paucis res obtigit, aequus amauit
Quos Pater, & miserans vultu respexit amico.
Agnouit RODVLPHVS *iter: nam lacteus ibat*
Purpureo liquor immistus, procerumq; piorum
Effigies memorem reuocabat cognita mentem.
Quos inter cum se ipse noua sub imagine vidit,
Et virtute pares socios, hoc munere laetus
Promissamq; fidem, superumq; agnouit amorem.
Hoc iter emensi primum, praecelsa videbant
Moenia quadrato longe fulgentia muro:
Muro, qui fulua stellatus iaspide cingit
Vrbem auro insignem, pulchroq; ex ordine ternas
Quadruplici e mundi pandentem cardine portas,
Quas omnes vario distinxit sidere gemma.
Largior hic aether radiantia lumine vestit
Omnia purpureo, & nitido collustrat honore.
Aspectant cupide haec animae, quae singula monstrant
Aligeri: custos animam comitatur euntem
Pro se quisque suam, dextramq; amplexus inhaeret.
Interea e pulchris legio pulcherrima portis
Funditur, & laeto complentur strata viarum
Agmine, dulcisono permulcent aurea cantu
Sidera caelicolae, quorum tot vestis, & oris
Sunt habitus, vario quot fulgent ordine coetus.
Quisque licet solis radios septemplicis aequet.
Non alias caelum choreas ostendit, vbi ignes

Accendit

Accendit noctu: sed non par omnibus ardor,
Et stellas inter collucent astra minores.
Talis erat fulgor pompae gradientis: & inter
Dissimiles cultus similis fulgebat imago.
Omnibus in morem viridi sunt pressa corona
Tempora, & aequato figunt vestigia gressu.
Contra lecta manus veniens gaudentia iungit
Agmina: quae postquam tectis succedere ciues,
Moenia qui passim densa cinxere corona,
Aspiciunt laeti, ceu nusquam gaudia, nusquam
Vndique plaudenti tota caneretur in vrbe;
Pars liquido tenerum modulatur gutture carmen
In numerum, pars inflat ebur, chordasq; loquentes
Mobilibus digitis, aurato aut pectine pulsat.
Tum vero ad portas vario discrimine coetus
Conueniunt alij atque alij, mediamq; per vrbem
Laetitia ingenti sacrum paeana canentes
Ipsius ad regis conspectum & limina ducunt.
Ipse quidem primus sceptris, solioq; nitenti
Nube sedet, rutilumq; iacit de corpore solem:
Vnicus hic se se terno de fulgure pandens,
Vt tribus e facibus fulgor coit omnis in vnum,
Insinuansq; suum radijs ardentibus aestum
Feruida caelicolum percurrit lumine corda.
Illi autem hos laeti radios circumq; supraq;
Peruolitant, intusq; sacra se condere luce
Certatim, & properant latos penetrare recessus:

Rursus

Rursus & emergunt: iterumq; iterumq; reuerti
Incipiunt, magnaq; explent dulcedine mentem,
Semper inexpleti. Capiturq; trahitq; voluptas.
Qualis apes amor exercet violaria circum
Cum casiamq; crocumq; metunt, cum candida libant
Lilia, feruet opus. veniuntq; abeuntq; vicissim,
Seu dextra laeuaq; velint, fulgentibus alis.
Et vario strepitant gemmantes murmure campi.
Haud alius superum labor est, & mentibus ardor,
Cum celeres ineunt laetantes vndique cursus,
Et lucem aeternam caeli super ardua tranant.
In medio nitet ante alios vir maximus omnes
Ore DEO *similis,* DEVS *ipse, & conditor orbis.*
Hinc iubar extollit caelestis lampadis instar,
Vnde decus, formaeq; animis afflantur honores.
Quanta viri species? quae celsa e fronte corona
Conijcit ardentis caelestia semina flammae?
En geminas, hinc atque illinc, qua vulnus honestum
Emicat, effundunt flammas plantaeq; manusq;,
Alliciuntq; oculos: aperitur pectore sidus
Perpetuo ceu sole rubens, semperq; recenti
Luce polum, semperq; nouis fulgoribus auget.
Huc oculos, huc ora ferunt, gaudentq; tuendo
Caelicolae, solemq; suum sua sidera norunt,
Et simili a specie, simili splendore coruscant.
Non aliter (si parua decet componere magnis)
Cum laetum caueae consessum lutea vela

Aestibus

Aestibus arcendis magnis intenta theatris
Forte tegunt, superi concepto fulgure solis
Inficiunt hominum vultus, terramq; iacentem,
Cunctaq; purpureo cogunt fluitare colore.
Ipse sedet, sedet & lateri comes addita mater,
Supra omnes virgo alta choros sublime volantum;
Illi autem pedibus se se pulcherrima luna
Subijcit, & rutilo corpus sol vestit amictu.
Nec minus & bis sex roseum fulgentia cingunt
Astra caput, radiosq; vomunt, quibus ardet Olympus
Aureus, inq; ipsas vibrantur lumina terras,
Munificantq; homines opibus, ditantq; salute.
Voluitur hanc circum densis exercitus alis
Caelicolum, lectaeq; acies: velut aspera castris
E medijs cum pugna vocat, tum flammea multo
Aere renidescit tellus, tum fluctuat acri
Milite, & instructum campo micat agmen aperto.
Talibus ardescunt telis, ea proelia miscent
Terribiles visu volucres, laudantq; parentem
Reginam, & varios liquido dant gutture cantus
Concordes animis, vox indefessa canoro
Ore fluit, resonat iucundo carmine caelum.
Quis memoret quantis undarint pectora flammis,
Quanta per incensas innarint gaudia mentes
Felices animae, vobis, cum caeca nitentem
Non nubes lucem eriperet, non corpus opaca
Mortale officeret caligine? cum DEVS *umbram*

Dispulit,

Dispulit, & claro se se dedit ore videndum?
Nunc vobis, nunc ora datur diuina tueri,
Nunc vitae iuuat aeternos accedere fontes,
Nunc capite insignem stellis gestare coronam.
Namque DEO *satus, &* MARIA, *de more vocatis*
Omnibus, & meritae tribuit sua munera laudi,
Victoresq; ciens, pretium victoribus addit,
Stellantem capiti gemmam, dextraeq; beata
Arbore decerptae victricis praemia palmae,
Induit & laetis candenti vellere vestem.
Ast ea dum studio effusus prospectat Olympus,
Et noua caelestis gratatur gaudia coetus,
Haec canit: O ciues: manus haec delecta virorum est,
Relligione potens, calcato corpore virtus
Ad caelum cui strauit iter, perpessa labores
Innumeros, magnisq; diu iactata periclis.
Ecce coronato praefulget vertice gemma,
Dextra manus palma, sacro gestamine corpus.
Dicite caelicolae sollemnes dicite laudes.
Haec superi: Interea CHRISTVS *Deus oscula libans,*
Cunctorum abstergit lacrimas, & vulnera siccat
Lucem addens, propriaq; omnes in sede reponit.
Vobis parta quies: iam nunc dolor omnis abesto:
Iam vobis cessere hominum furiaeq; minaeq;:
Hic agite assiduos deuicta morte triumphos.
Dixerat, & terno sonuerunt sidera plausu.
Tum vero sedere alacres, curaq; metuq;

Semoti procul a tristi, tenebrisq; fugatis
Quam CHRISTI *sit vera Fides, quam nescia falli*
Spes habeat terras, cernunt super aethera: quamquam
Nulla fides, spes nulla locum tenet, omnia cepit
Quando amor, & dictis respondent omnia vatum.
Hic iuuat exhaustos nuper meminisse dolores,
Et rerum, & vitae discrimina, cernere terram
Sub pedibus, celeriq; actum vertigine mundum.
Nam quia turbinibus vitaeq; sequacibus vndis
Ereptos se stare vident certosq; salutis
Et decoris, spectare libet sine parte pericli
Lubrica praecelso de culmine: ceu mare nautis,
Quos tuto accepit tellus placidissima portu.
Nec saeuis piget aerumnis, nec corpora ferro
Obiectasse truci, aut vitam duxisse seueris
Legibus, alterius vocem mentemq; secutos.
Quin vellent grauiorem etiam tolerasse laborem;
Et saeuae genus omne necis, genus omne malorum:
Talia sunt numquam periturae praemia vitae.
His super aspiciunt Coculinum corda malignis
Inflammata odijs nondum extinxisse furorem
Sanguine, sed gelidos vexare ferociter artus.
Et scelus atque iras hominum miserantur inanes.
Namque animis Coculina furit gens effera, & aedem,
Quam semel atque iterum raptatus ARANEA *circum,*
Angustam ingressi, effigies, de more, deorum
Carminibus celebrant, & caeso sanguine tingunt.

Mox etiam & tepido dudum ſaturata cruore
Spicula figentes ſacrant ad limina templi.
Argumentum ingens ſceleris, quod carmine ſignant.
Haec BERNO *occiſo & ſocijs tibi ponimus arma.*
Nec mora, ad exanimum conuerſi corpora fratrum,
Haud poſſunt explere oculos, & corda, tuendo
Funeribus miſtos, verbisq; illudere certant.
Hic templum metire iacens: hic ſigna beatae
Tolle CRVCIS. *ſic caelo ingens educitur aedes.*
Sic noſtros depelle deos, ſic dirue tecta.
At matres ſpectare PETRVM, *longumq; vocando*
Inſultare leues. En quanto mitior, aiunt,
Quam delubra palam cum ſubuertebat, & inter
Arma virum, ſacris iaciebat ſedibus ignes,
Noſtraq; terrifico turbabat corda tumultu.
Et tandem his feſſi linguas, his vocibus aures,
Iam ſero labente die, non corpora terrae
Reddere conſtituunt, ſed latos tracta per agros
Limoſoq; lacu, nigraq; abſcondere in vlua:
Ne ſi forte aliquis repetitum venerit olim,
Veſtiget facili indicio, vel deinde reperta
Chriſticolum de more ferat, decoretq; ſepulcro.
Et primum pedibus RODVLPHI *exangue cadauer,*
Poſt etiam ſocium, quae cuique inſana libido eſt,
Corripiunt, raptantq; feri, nemoroſaq; propter
Littora, qua pluuium vallis collegerat imbrem,
Corpora prouoluunt pariter permiſta, teguntq;

Sentibus, & densa ramorum desuper umbra.
Haec vobis, haec digna domus: vos plurima dudum
De sacra cecinistis aqua, vitamq; lauando
Corpora polliciti: nunc ranis talia tempus
Dicere, nunc unda nantes habitate sub ista.
His actis, vel sponte sua, vel voce rogantum
Euicti potius, reliquorum corpora amicis
Concedunt, tumuloq; sinunt succedere terrae:
Lene odium fuit istorum, iam morte sepultum est.
Sic aiunt: magnoq; dehinc clamore frequentes
Templa deosq; petunt, cumulantq; altaria donis,
Procurantq; velut bene gestis corpora rebus:
Narrantes quem quisque manu confecerit, & qua
Corpus in aduersum direxerit arte sagittam:
Atque epulas inter vario sermone fruuntur.
O caecas hominum mentes, o corda futuri
Nescia: tempus erit cum vos quae poena moratur
Excipiet, nec sera adeo, magnoq; redemptum
Esse diem hunc vobis optabitis: horridus ista
Gaudia suscipiet luctus. Video arma virosq;
Lysiadas iustisq; iris & motibus actos,
Cum simul incendent monstrorum templa, domosq;
Obsident, sternentq; solo, scelerisq; recentis
Ad poenam auctores ferro, flammaq; reposcent.
FACTA *hominum* DEVS *aspectat, culpamq; nocentum*
Vindice prosequitur poena: nec crimina patrum
Semper ad innocuos veniunt traducta nepotes:

Atque

Atque ea dum ſocij Coculino in littore laetis
Pro te CHRISTE *ferunt animis, augentq; piorum*
Purpureos & morte choros, & laude triumphos:
Ignari rerum ſocij qui moenia Goae
Tuta tenent, iuſſi pariter ſuccedere templo,
Conuenere vna: quos haec VINCENTIVS *inter*
Incipit. O ſocij bis ſextus clauditur annus,
Ex quo magnanimi noſtra de gente ſodales
Extincti pulchro poſuere in munere vitam:
Quadraginta omnes: nam CHRISTI *ſacra, fidemq;*
Freti ipſo, tumidum verrentes nauibus aequor;
In terras alio penitus ſub ſole iacentes
*(*BRASILIAM *veteres olim dixere) ferebant.*
Hic, vbi non recti ſpecies, non corporis vllus
Cultus erat: varijs auium ſed corpora plumis
Nuda tegebantur quondam, volucriq; ſagitta
Indigenae docti longe configere, ſi quem
Tempeſtas miſerum appulerat: tum viſcera flammis
Toſta hominum ſoliti crudis apponere menſis.
Nunc victu cultuq; fero deterruit illos
CHRISTVS, *& humanae docuit commercia vitae:*
Huc ibant, his ductor erat tum nomine felix
Tum pietate ingens IGNATIVS*: extulit illum*
AZEVEDA *domus: Sorias oppreſſit euntes:*
Crudelis Sorias: taetram cui tabida mentem
Ex Erebo ſublata lues infecerat, & ſe
Hoſtem Pontifici magno, ſacriſq; ferebat

Ritibus,

Ritibus, infestumq; tenebat nauibus aequor.
Nam quia non procul a terra defecerat afflans
A tergo, puppimq; ferens & lintea ventus:
Accipiter velut imbellem tellure columbam
Cum sedit, leporem ve citus venator in altis
Montibus, & niueo vallatis aggere campis:
Assequitur praedo ratibusq; instructus & armis,
Cominus inuadit: circumstant scilicet vnam
Quinque rates: nec opus longo certamine: plures
Vicere: irrumpit Sorias, recipitq; tenetq;
Nauigium: & vultu verbisq; minacibus instat.
Mox studium ratus extingui sic posse virorum,
Quos docuit ROMANA *Fides: saturare cruore,*
Vtere sorte data, ROMANAM *interfice messem,*
(Ipse suis clamat) submerge cadauera ponto.
Et simul hoc: simul IGNATI *qui amplexus habebat*
Virginis effigiem MARIAE, *veramq; tueri*
Seq; suosq; Fidem suprema in morte professus,
Et socijs animos addebat, & hostibus iras,
Pectora transadigit telo, vastumq; per aequor.
Cum sacra iacit effigie, quam nulla reuellit
Vis admota viro: hinc socios furibundus ad vnum.
Terq; quaterq; abdens sceleratum in viscera ferrum,
CHRISTVM *implorantes liquidas proiecit in vndas.*
Hae circum effuso rubuerunt sanguine, at illi
Protinus e medio petierunt aequore caelum.
Iamq; dies sollemnis adest: celebrate fauentes

Hunc

Hunc animis votisq; diem: fortasse licebit
Aut vobis, aut nostro alijs ex ordine lectis,
Hac caelum sperare via: meminisse profecto
Conuenit egregias animas, queis funere vitam est
Extendisse datum: & CHRISTO *persoluere honores.*
Haec fatus, duplices tollebat ad aethera palmas,
Idem omnes simul ardor habet, superosq; precantur
Vt tales animos tam fortia corda virorum
Saepe ferant, vita neglecta, & corpore, sanctae
Defendentum vrbis ritus, inq; arma ruentum.
Relligionis opus. Tacitis ea vocibus orant,
Et mentem subit antiquae spes aemula laudis.
Interea Goam & patres maestissimus implet
Nuntius, extinctos socios Salsethide terra,
Quos duce RODVLPHO *lux tertia vidit euntes.*
Extemplo perculsi animi: tristisq; per omnes
Luctus it, atque omnes circum implacabilis ardet:
Lumina tot cecidisse virum? Tantam ne sereno
Tempestatem actam caelo, vt decusserit almae
Spem segetis, totoq; procul ver egerit anno?
RES *hominum incertas: o nulli cognita caeli*
Consilia, & tantum ignaras superantia mentes,
Quantum humilem aetherius tellurem vincit Olympus.
RODVLPHVM *caedi potuisse, & pectora ferro*
Hauriri tam plena DEO? *non oris honore,*
Non oculis superum aeternos spirantibus ignes,
Caedentum reuocatum animum? non lapsa furentis

Militis

Militis arma manu? aut potius non cuspide versa
Reflexa, vt caderet non iusti vulneris auctor?
En cui non saeui Mogores, non perfida regna,
Tam multis quondam insidijs, odijsq; petito,
Tam diu in externa solus cum viueret ora,
Abstulerunt animam telis, caecoq; veneno:
Hunc magno in comitum numero aspectuq; suorum,
Christicolas inter populos, in limine Goae
Abstulit vna dies crudeli vulnere, & vna
Concordes vitae socios in funere iunxit.
Vna dies tantam potuit duxisse ruinam.
Haec vulgo: At socij, rebus quod restat egenis
Ad solitas rediere preces: cunctiq; relictis
Omnibus ad se abeunt taciti, merguntq; natantes
In vultu lacrymas: duri solatia casus
A CHRISTO *expectant: nec toto ex agmine cuiquam*
Faucibus haerentem linguam, seu pectore vocem
Esse feras. Animis clamorem ad sidera tollunt:
Ore silent: Te CHRISTE *oculis, te mente requirunt.*
Tuq; animis nec visus ades, vocesq; silentum
Percipis, & rerum quae sint solatia monstras:
Quandoquidem indigna socios quos morte peremptos
Esse putant, maerentq;: illis quae munera vitae
Sint concessa, doces: Non esse hac morte dolendum,
Sed similem potius caelesti ab rege petendum.
Talibus afflati monitis, dum praemia secum
Parta suis, magnumq; DEI *meditantur amorem,*

Ardescunt

Ardeſcunt magis atque magis, ſic fomite flamma
Rapta olim, percuſſa ſilex ſimul extulit ignem,
Tam feruet magis & gliſcit, quam arentia circum
Multa magis dextra ſollers alimenta miniſtras.
Inde vbi plena fides rerum, nec iam amplius vlla
Cura ſubeſt animis, quiſque e penetralibus exit
Laetior, atque alijs vltro ſe ſe obuius offert.
Qui mos laetitia in magna. Tum mutua narrant
Gaudia: nec ſocios exutos corpore luctu
Cauſa ſequi: magno potius decorentur honore.
Felices, quibus exactam ſine crimine vitam
Funere tam pulchro clauſiſſe, & ſanguine caelum
Eſt reſeraſſe datum. Nobis ſunt arma mouenda.
Forſitan & bellum geritur maiore ſub hoſte.
Pax illos quaeſita manet: laetiq; laborum,
Vulneribus gemmas, & nectar ſanguine mutant.
Serta caput, torques collum radiata coronat.
Victores abiere olli. Victoria morte
Conſtitit: & terris petierunt aſtra relictis.
Nos exempla vocant: nam ſi quem vincere par eſt
Par etiam eſt ſimiles afferre ad proelia vires.
Haec inter ſe ſe memorant, referuntq; viciſſim,
Talibus vt maeſtum dictis ſolentur amorem.
Te quoque VINCENTI *grauior quia nuntius aures*
Vulnerat, inuadit maeror, ſed pectore forti
Excutis, vt ſociorum animas, quos viuida claram
Ad mortem pietas pro relligione vocarit

Non periisse vides, sed viuere. FVNERA *virtus*
Vincit, & extento signantem sidera passu
Gloria virtutem sequitur. sine fine beatas
Vestit honos animas: nunc qui debentur honores
Corporibus, tribuantur, ait. dare tempus humandis
Cura monet sociis: cura huc traducitur omnis.
Nec tantum licet esse morae. Quos ducere possit,
Cogitat: & quamquam summo certamine pubes
Se se offert, ardentq; omnes dare dulcia sanctis
Oscula vulneribus, dextris contingere sacra
Corpora, & insontem lino siccare cruorem.
Triginta numero tantum selegit ab omni:
Quos visum: e centum, paucos: Hinc iussa manere
Maxima pars, vincunt animos, parentq; monenti.
Illi autem Goae celerant ad littora gressum,
Vnde breui ad terram tendunt Salsethida cursu.
Egressi pedibus properant. incensa cupido,
Et spes, dant animos: tandem surgentibus astris
(Corpora quo sperant socium deducta) vetustum
Marganum veniunt, sed spes frustrata fefellit.
Namque illic nullum inueniunt exangue cadauer:
Et fama est, hostes fraude occuluisse maligna,
Vt spoliata animis careant & membra sepulcro.
Hoc etiam variis implet rumoribus vrbem,
Auctores caedis; vel quod desederit ardor
Impius, & cruor insanam tepefecerit iram,
Poenarum ve metu, & turpis formidine facti,
Magna

Magna ex parte solo extorres, patriaq; relicta,
Latos finitimi regis volitare per agros.
Perculit hic omnes nec opinus rumor: & ardent
Scitari Coculinum animos: sed nubila terras
Nox operit, poscitq; labor, maerorq; quietem.
Nec prius instrato componunt membra cubili,
Quam solito de more preces e pectore fundat
Quisque suo, recolatq; horis transacta diurnis
Omnia, & hac etiam se credat nocte benigni
Numinis auxilio, vt placidam per membra quietem
Irriget, & tuta sopitum protegat vmbra.
Iamq; omnes fesso carpebant pectore noctem,
Atque soporifero lenibant munere curas:
Haud somno fruitur VINCENTIVS: *anxius vrget*
Corda dolor, rerumq; sua cum mente volutat
Euentus: nec certus adhuc, lux candida primum
Accenso simul orbe diem solemq; reducat,
An praestet legare viros, qui corpora poscant,
An dubios tentare aditus, veniamq; precari,
Angitur, & magno curarum fluctuat aestu.
Nox mediam caeli superauerat humida metam,
Cum tandem fusco tacitus velauit amictu
Ora sopor, pressitq; genas, curasq; resoluit.
Vix autem sero deuinctus lumina somno
Clauserat, & subito RODVLPHVM *cernere visus.*
Non qualis Mogorum longis e finibus olim
Venerat, aut nuper Goa decesserat vrbe,

Pulchrius at multo diffundens corpore lumen
Affuit ante oculos, & nota maior imago.
Purpureo insignem iaciebat vertice flammam,
Aurea pendebant demissa monilia collo;
Corpus honos Tyrio redimibat regius ostro,
Et rutilo clarum lucebat sidere pectus.
Quem simul vt tali vidit VINCENTIVS *ore,*
Tristior alloquitur, lacrimaeq; per ora volutae.
Te ne ego RODVLPHE *aspicio? qua pulcher ab ora*
Expectate venis? quae signa micantia cerno?
Viuis adhuc, falsusq; mihi te nuntius vna
Cum socijs tulit extinctum? si vita recessit,
Atque animas noua lux decorat, quis corpora nobis
Vestra dabit, quae supremo comitemur honore?
Dixerat. & contra RODVLPHVS *talia reddit.*
Ne dubita VINCENTI, *inquit, non fallit imago:*
Nec falsa audieras: mortali corpore soluit
Mors animam: & similem sunt libertatis adepti
Spem socij (haec dicens, socios ostendit: at illi
Multa etiam luce ardentes effulgere visi)
Viuo equidem, viuuntq; ipsi, vita omnibus alma
Est data. Vos contra decepti nomine, vitam
Quam facitis, mors est: caeco vos carcere corpus
Detinet, atque animam tellure affligere certat.
Aspicis illustri radiantem lumine formam,
Et circum qui ridet honos? felicia nos haec
Vulnera pro CHRISTO *passi: dedit ille beatas*

Iam sedes animis. Tu nunc qui corpora quaerant
Mitte libens: primo Coculini posse negabunt
Reddere, sed persiste adeo: non mollia iustis
Pectora vincentur precibus, ponentq; furorem.
Dixit, & extemplo rapido pulcherrima nisu
Visa cohors, tremulo perrumpere lumine nubem.
Quaq; volat, roseo discludit tramite caelum.
Non secus ac corpus leuium regina volucrum
Tollit humo, celeriq; volat super ardua penna,
Et defixa diu mirantum detinet ora.
Quo fugitis socij? cur dextrae iungere dextram
Non datur? en vobis clarae stant munera vitae,
Quid nos deseritis tenebroso in carcere mortis?
Tollite: iam sordet tellus, inducite caelo.
Haec ait, & somno excussus VINCENTIVS *vdis*
Ora rigat lacrimis: surgit, sacrisq; litatis
Corpora qui referant, Margani e ciuibus vltro
Qui se se obtulerant, Coculinam mittit ad vrbem.
Ipse petit Raccholi arcem, comitesq; sequuntur.
Hic visus locus est socijs, vbi funera curent.
Accelerant illi, & patrum mandata recensent.
Iam causam cessisse odij, iam sanguine poenas
Quas vellent, sumpsisse, animos explesse furentes.
Nunc saltem socios, defunctaq; corpora vita
Reddere ne pigeat. Quis enim nunc vtilis vsus
Membrorum exanimum? Facile est donare sepulcro.
Res agere hic Coculini alias: praetexere inanes

Factorum

Factorum causas: dictis auertere mentem:
Auctores cessisse fuga: modo vulgus inermum,
Et rerum ignaros pueros, matresq; relictas.
Legati tamen haud abeunt, tenduntq; precando.
Nec minus obdurat populus, precibusq; resistit:
Phorbus in obstructas se se demiserat aures
Liuidus: vt quorum superas conspexit euntes
Ad sedes animas, partoq; inuidit honori,
Illorum non esset honos, nec fama sepulchri
Corporibus, nomenq; omni moreretur in aeuo.
Haec inter, dubijs legati mentibus haerent.
Ecquid agant? maneant? melior pars acta diei est.
Rebus an infectis abeant? vbi verba fidesq;?
Et pudor est mansisse diu, vacuosq; redisse.
Vna modo in CHRISTO *spes est: inflectere corda*
Ille solet, mentesq; hominum mollire ferorum:
Ipsum orant. O CHRISTE *omnes qui noscere solus*
Arcanos, durosq; potes diffingere sensus,
Cernis vt eludant Coculini, vt pectore ficto
Verum dissimulent, cupiantq; abscondere furto
Corpora, quae vitae spoliarunt lumine, ne quis
Extet honos tumuli? Per te memoranda tuorum
Facta ducum, sanctasq; animas, iam frange, precamur,
Immites populorum animos, supremus haberi
Relliquijs vt possit honos: sint mortua viuis
Corpora, si iusta decorentur mole sepulcri
Virtutis monumenta piae, cum muta loquentur

Funera,

Funera, & ad similes obitus, laudemq; vocabunt.
Talibus orantes facili DEVS *audijt aure.*
Hic subito gemini gressum extra moenia tendunt
(Et iam vesper erat) pueri: iussu ne parentum
Emissi, an sponte, incertum: Iam corpora vobis
Quae longe proiecta iacent, ostendimus, aiunt.
Et procul in partem veniunt, vallemq; reductam,
Limus vbi aggestus circum & deformis arundo,
Condensas inter frondes vluamq; palustrem,
Corpora sacra virum pluuiali immerserat vnda.
Hic locus est: hanc membra tenent inhumata paludem.
Talia dicta dabant, referuntq; ad moenia gressus.
Obstupuere illi: & subita formidine capti
Laetitiam gemitumq; inter, dum dicere grates
Suppliciter tibi CHRISTE *parant, lux ecce repente*
Visa polo ardenti flammarum ignescere tractu
Desuper incumbens: visus diffulgere nimbus,
Aligeriq; chori: tum vox diuina per auras
Excidit, & dulci tentauit pectora motu.
Felices obitus fortunatosq; labores,
Egregias sanctorum animas, & corpora multis
Exaturata malis: vita o clarissima, morte
Illustrem testata Fidem: sacra nomina caelo
Nobilium dignata virum, qui labe pudicam
Ne qua polluerent pietatem, sanguine terram
Suffecere pio. vos o viuentibus vnus
Quis modo CHRISTVS *erat studium, morientibus idem*

Nunc

Nunc pretium eſt: nimium praeclara morte beati.
Hae voces tenuere aures, haec carmina mentes
Arrexere pias: tum vero poplite flexo
CHRISTVM *iterum orantes non caſſa in vota vocarunt*
Corpora dein dumis & multa fronde caduca
Tecta, lacunarum tenebris educere certant.
Quae quamquam demerſa diu, quamquam oblita caeno,
Et tabo concreta graui, tamen omnis ab illis
Acer abeſt, qualem iam taetra cadauera reddunt,
Spiritus, & ſuaues exhalant vndique odores.
Omnibus hic tacito laetus de pectore luctus
Rumpitur, & manibus metuunt contingere ſancta
Corpora: praefati veniam, quas arbore caeſa
E virgis raptim licuit contexere crates,
Imponunt ſuper his. ſacro ſubiere pheretro
Margani proceres: ſed te RODVLPHE *ſupremum,*
Hoc ipſum vt facerent Goana ex vrbe profecti
Lyſiadae exportant: gratum ſubmittere triſti
Colla miniſterio: & primum conſiſtere viſum
Raccholi procul e muris: hic cernitur aedes
ANTONI *tibi ſacra Pater, quem Lyſia quamuis*
Vrbis Vlixeae ad portus auriq; fluenta
Terra tulit, tamen a Troiani Antenoris vrbe
Diceris, & Pataui ducis de nomine nomen.
Aedes parua quidem, multa ſed nobilis arte,
Quam celebri paries depicta in imagine ſeruat.
ASCANII *Dudonis opus. Signauit in auro,*

Atque

Atque litae in texto descripsit stamine telae.
Horrenti procul in saxo, quo deuia nullum
Silua tulit, lucosq; inter rupesq; cauatas,
Pallidus, & tenues indutus vilibus artus
Pannorum exuuijs, nodoso fune reuinctus
Vir pressat genibus terram, sed lumina caelo
Fixa tenet, passasq; manus ad sidera tollit:
Percitus huic dices aufugit spiritus: ignis
Ritu summa petit, maiorem at feruidus ignem
Repperit aduersum: sublimis in aëre se CRVX
Obtulit, & magno confixit pectus amore
Forma DEI, *circum senis quae attollitur alis.*
Saucius huc se infert animus, circumq; pererrat.
Sicut auis tutum deserto in culmine nidum
Extruit, vt quaerat pullis implumibus escam:
Perq; manus, latumq; effosso in pectore vulnus,
Perq; pedes ferro traiectos transit, & illo
Corpore se condit: nec vero emergere curet,
Hic habitet, lateatq; libens, ni viuida flamma,
Acta velut neruo longe intendente sagitta,
Pellat agens retro, reuocetq; in corpore sensum,
Vulneribus totidem, maneatq; impressa cicatrix,
Mortuus & viua reddatur imagine IESVS.
Vos platani testes, & tu qui tegmine tectus
Persimili, vultumq; notas gestumq; magistri,
Non satis admirans conspergi lumine caelum
Flammiuomo, & notas decedere vallibus vmbras.

Ducitur huc primo funus: ruit vndiq; turba
Huc tota pia de Salsethide: sed magis inter
Omnes conspicui, qui Goa nuper ab vrbe
Ingenti numero exierant, cultuq; decoro.
Huc pariter venere omnes: nam corpora ferri
Nuntia fama tulit: nec quisquam taedia fugit
Longa viae, aut ferae metuit se credere nocti.
Excipiunt socij sociorum corpora, tolluntq;
Incensas de more faces, dicuntq; parenti
Caelicolum alterno modulantes carmine laudes.
Exin multiplici, dum feruent agmine campi,
Certatimq; fluit Raccholi ad moenia plenis
Gens diuersa vijs, sacrae in penetralibus aedis
Corpora componunt trepidi, purgantq; tumentem
Illuuiem, maerentq; pigrum non posse paludis
Humorem auerti, bibulos qui inflauerat artus.
Vulnera dein magis aspiciunt, fluidumq; cruorem
Permanare vident, ferro modo vulnus adactum
Omnibus esse putes, RODVLPHI *in pectore feruet*
Plaga recens, spumamq; iacit, ceu subdita flamma
Esset, & expositis resilirent ignibus vndae.
Corpora proluerent lacrimis: sic concita fletum
Mens inhiat: sed casta Fides castigat, & vdas
Ire vetat lacrimas: defigunt oscula tantum
Dulcia, & imbutas concerpunt sanguine vestes.
Inde vbi terserunt facies & corpora maesti,
Iniecere sacros cultus: & candida primum

Vela

Vela tegunt summos humeros, & pectora summa
E tenui lino, solitae quod texere matres
Italides, firmis nectentes licia telis:
Quin etiam & niueo velatur corpus amictu,
Quem medium presso substringunt cingula nodo.
Additur his lata ansa croco fulgente, lacertoq;
Induitur laeuo, simili distincta colore
Taenia supremo a collo per pectus vtrinque
Implicito ductu talos defluxit ad imos.
Omnia baccato cohibet chlamys aurea textu,
Et latere ab gemino partes se findit in ambas.
His super accedunt externi signa decoris,
Quodq; decus sit partum animis & gloria monstrant:
Dextra manus palmam, frons gaudia, corpus odorem,
Aurea victricem protendunt tempora laurum.
Omnibus hic communis honos, sed ARANEA *solus*
In nigra aspicitur tunica: nam cetera consors:
Pulchrior hoc etiam, quod sparso membra cruore,
Vulneraq; illa gerit, quae accepit plurima: & ora
Mollia tum primo vestibat flore iuuenta.
Ipse quiescenti similis, somnoq; leuanti
Membra, toro incumbit placide resupinus eburno:
Vnde auium varijs distincta coloribus Inda
Texta manu, hinc illinc ad terram pallia pendent.
Purpura subijcitur capiti, viridemq; coronam
Sustinet, & vultus albentes inficit auro.
Fulgorem sic saepe suum candentia pingunt

Lilia mista rosis. Tales dabat ille colores.
Nox erat, & caelo radiabant astra sereno.
Corporibus tandem instructis, incedere funus
Incipit, & longa produci corpora pompa.
Principio iuuenis lento procedere gressu
Cernitur, augustum tollens ad sidera signum
Aetheriae CRVCIS *e gemma, sectoq; elephanto:*
Rasilis hasta sinus ostroq; auroq; crepantes
Explicat in ventos: crispantur carbasa ventis
Lenibus: & CRVX *ipsa ignes caelumq; lacessit.*
Post subeunt pueri, quos tamquam e cortice amarae
Arboris euulsas stirpes lauere salubris
Fontis aquae, & dulci iussere inolescere trunco:
Sic oleae insertus frondes oleaster amaras
Exuit, & se alia miratur in arbore germen:
Nunc humiles rami, & summa plantaria terra,
Sed curuata olim distendent brachia pomis,
Nescia soliciti cultoris fallere votum.
Alba videbatur corpus circumdare palla
Ad summos demissa pedes: sed vertice nudo
Sacra canunt, laudesq; DEO: *bini ordine pulchro*
Incedunt, annisq; pares, & passibus aequi,
Et spatium, in medio, aequali discrimine linquunt.
Prosequitur chorus ecce virum, queis linea vela
Ad talos fluitant laxe, corpusq;, caputq;
Et faciem obnubunt, oculis modo parua relicta est
Ad visum via, qua rerum simulacra feruntur.

Nec non in tanto spectari munere gaudent
Ex omni procul excitae Salsethide gentes
Diuisae ordinibus certis: vestigia figunt
Proxima Goani iuuenes, & Lysia pubes,
Aemula queis pietas similes in pectore curas
Excitat, vt CHRISTVM *propter quos corpora morti*
Obiecisse vident, magno venerentur honore.
Iamq; ipso tantum superest in fine virorum
Magna cohors addicta DEO: *quorum agmina partim*
Velantur lino, partim qua sacra ferentes
Veste sacerdotes sanctas assistere ad aras
Sunt soliti, hac humeros ornant, & pectora veste,
Murice quae tincta, & signis auroq; rigescit.
Talis erat series, talis soluentibus ordo
Supremum officium. Tum cunctis cerea lucet
Fax praetenta manu: pellunt hac luce tenebras:
Et circum, siluasq; nigras pontumq; profundum
Non tantum illustrant, caelum splendoribus aequant.
His ego crediderim miratos aetheris ignes
Lucentem radijs noctem, vinciq; timentes,
Accendisse magis fulgentibus aethera flammis,
Quin certasse etiam praestantem cernere pompam,
Christicolum ritu, Indorum per littora, talem,
Qualem GREGORII *Nazanzi antistitis ossa*
Duxere, antiquos ROMA *referente triumphos:*
Tertius a decimo cum felix arbiter orbis
GREGORIVS *transfert humili de marmore, ad aedem*

Textili-

Textilibus pictam gemmis, auroq; nitentem,
Vaticanus vbi aetherijs caput intulit astris.
Vix totum vndanti e templo defluxerat agmen
Fluctibus igniferis, cum pulchro funere corpus
Per se quodque suo in pheretro fulcroq; repostum
(Sacro oneri, sacrosq; humeros, & colla sacerdos
Subijcit) effertur. FRANCISCVS ARANEA *primus*
Conspiciendus erat: RODVLPHVS *clauserat agmen:*
Proximus ALPHONSVS RODVLPHO, ANTONIVS *illi,*
It PETRVS *in medio: sequitur longo ordine coetus*
Virgineus, matrumq; chorus: stat candida cunctis
Fax incensa manu, quo clarant lumine noctem,
Et funus Patribus celebrant: hoc nomine suetae
Appellare suae Fidei, morumq; magistros.
Haec quisquis rerum ignarus conspexit ab alto,
Attonitus siluam ardentem clamauit, & igni
Absumi metuens Salsethida, pectore toto
Incubuit remis, propiusq; accessit, & aure
Ebibit arrecta, non flammam, ignemq; sonantem,
Non miseros hominum gemitus, caecosq; tumultus,
Sed numero, & spatijs modulatum nobile carmen:
Quod castus chorus alternat circum omne pheretrum
Argutas grauibus voces, pressasq; canoris
Vocibus admiscens. ea quondam psallere doctus
Isacidum rector diuino ex ore canebat
Carmina, cum magno dabat orbi oracula, magnae
Nuntia laetitiae, superumq; accommoda laudi:

Illi

Illi autem hos laeto referebant pectore cantus.
FERTE DEO *fetus ouium diuina propago:*
Ferte DEO, *& sacras mactandos sistite ad aras:*
Ferte DEO *cum laude preces: persoluite honorem:*
Carminibus celebrate DEVM: *sancta atria circum*
Ture flagrent, resonent votis, & sanguine fument.
Auditis? DEVS *insonuit: vocem aequora caeli*
Accepere: leues turbarunt protinus vndae:
Pro quanta in voce est virtus? quantum instar in ipsa est?
Scilicet aëriam potis est extindere cedrum,
Cedrum quae Libani sublimi in vertice, quantum
Ad caelum ramis alte surgentibus exit,
Tantum etiam terris late diffundit odorem.
Sensit, & hinnuleo similis, qui territus antrum
Deserit, ignotasq; fugax aufertur in oras,
Exiluit Sarus, & Libanus, tonitruq; remugit,
Quod micat, & rutilas iaculatur ab aethere flammas.
Ecce autem horrisono miscetur terra fragore,
Concussus gemuit Cades; ceu femina primum
Cui grauis indoluit maturis mensibus aluus,
Plenaq; vicino fremuerunt viscera partu.
Vox eadem ceruis properato tempore fetus
Ante diem ex vtero exemit, pondusq; leuauit.
Cruda puerperia, at dextra medicata salubri.
Pandentur veteres decusso robore siluae,
Et solem accipient euersae a stirpibus imis;
Et nomen laudesq; DEI *templum omne sonabit.*

Ille triumphata nimborum nocte coruscus
Arce sedet, scissis demittens nubibus imbres,
Et reget aeterno imperio quem condidit orbem.
Hic sibi quem populum cunctis e gentibus vnum
Eligit, aspiciet propius, vultuq; benigno
In pugnam vires animis ardentibus addet,
Hostibus vt victis secura pace fruantur.
Talia clarisona gradiens dum voce sacerdos
Concinit, & cantu tellusq; fretumq; resultat,
Spirat odoriferum ver siluis, & noua testans
Gaudia, conspergit viridantes floribus herbas
Terra parens, pompaeq; sacrae submittit eunti
Quas passim diffundit opes, quos afflat honores,
Et lotum, & violam, & ferrugineos hyacinthos.
Ipsae etiam veluti concusso stipite frondes
Defluere arboribus, Tristes cognomine dicunt:
Et vario flores nimbo consternere campos,
Decidui, insolita decepti luce, diemq;
Ac solem fulsisse rati: namque arbore flores
E Tristi, gelidae recreantur noctis in vmbra,
Nec perferre valent radiati lumina solis.
Nocturnis viguere horis, cecidere diurnis.
Hoc quia non vlli fuerat mirabile visum,
Gaudebant, factiq; foret quae causa, videbant.
Plaudit honoratae pompae tellusq; polusq;
Iam poterat celsa Raccholi ex arce videri.
Funus: & extemplo vocali consonat aere

Omne

Omne nemus, turrisq; horrendo murmure, magnum
Intonat, & caelo similis cum fulminat, auras
Impulit, impulsu quo late exterritus aether
Abstitit, & pelagi fluctus tumuere profundi.
Interea vrbs omnis densos effundere coetus
Visa procul, iungitq; manus, nam tecta domorum
Destituere senes cum matribus: omnibus vna
Haec mens, hoc studium, pompam spectare, Deumq;
In ducibus celebrare suis, quos auget honore.
Deuenere sacrum tandem longo ordine templum,
Quod MARIAE *sibi praescripsit pia nomina matris*
A Niuibus. Puer hic infans ante ora parentis
Dat lacrimas, teneros cum circumciditur artus,
(Indicat vt pictus paries) & nomen IESV
Aethere demissum terrarum insigne salutis
Sanguine emit. Pheretrum hic ponit sublime sacerdos
Collocat hic funus. Subito cum plurima turba
Circumfusa ruit, nec vis potis vlla tenere
Non coetus modo femineos, ad sacra precesq;
Natura procliue genus; sed mista virorum
Agmina: procumbunt omnes, atque oscula sacris
Dant pia certatim manibus, lacrimasq; profundunt:
Et varijs simul impletur templum omne querelis.
Hic claro gemitu dum fletur ARANEA: *voces*
Has amor expressit. Victor florente iuuenta
Rapte nimis, nimis o longos perpesse dolores,
O magnorum ingens semper contemptor honorum.

Felix morte tua, cui non virtutis egenti,
Non lapidum iactus, non vulnera, non grauis imber
Telorum, potuit constantem inflectere mentem.
Vitam adimunt hostes, vita sed carior ipsa
Dat vitam DEVS, *& laetos ex hoste triumphos.*
O nimium felix: cui quot sunt corpore plagae,
Tot linguae, totidem ora DEVM *sonuere: tot inter*
Sidera conspicuum laetus prospectat Olympus.
Nec procul hinc alios questus ANTONIVS *audit*
FRANCISCVS. FRANCISCE *pijs iam mitte rogando*
Solicitare DEVM *precibus: quod saepe petebas*
Euenisse dedit: nunc tandem sanguine pulcher
Ad caelum penetras, spolijs vbi victor opimis
Et morte insigni aeternum laetabere in aeuum.
Hoc age, nunc tandem caelestia numina votis
Quod cessere, tuos ne dedignare clientes.
Haud minor ad PETRVM *luctus: ferit aurea clamor.*
Tecta frequens. ergo ne animis gratissime nostris,
Templorum incensor, monstrorum euersor, & ingens
Brachmanum metus, occumbis? Nec gratia formae,
Nec virtutis honos, potuerunt flectere tantum
Impia corda hominum? Potuisses ducere saxa,
Et dictis mollire feras, sed pectora saxis
Surda magis, secuere aurem mucrone, magisq;
Implacata feris, oculum transfigere ferro
Et sacrum valuere caput. Nunc denique fracta
Salsethis, nunc victa manus dabit omnis, & vnum

Agnoscet

Agnoscet mutata DEVM *: tu talia namque*
Dicta dabas : haec saepe olim memorare iuuabit.
NON PRIVS *antiquas purgabit rore salubri*
Salsethis maculas, vertetq; ad mitia mentem
Consilia, & vitam cupiet mutare priorem,
Quam socium, & nostro macularit sanguine terram.
Dictorum pars magna fidem sortita modumq; est :
Pars superest : spes haec minuit non vana dolorem,
Et tibi parta breui exitio per saecula vita.
At circum ALPHONSVM *grauiora silentia luctu*
Visa prius : lacrimas vix mittit maeror & altae
Tristitiae facies vocem prohibente dolore :
Lympha velut cum forte oris compleuerit vrnam
Angusti, vix ire potest, quando omnis aquae vis
Luctatur, breuis interea delabitur humor
Faucibus : haud aliter mens acri fixa dolore
Aestuat, instillans lacrimas, & reddere vocem
Pressa nequit : via sed tandem laxata querelae est.
Siccine tam dura, Salsethi hac caede peremptus
Est Pater ALPHONSVS *quondam tuus ? ille tuorum*
Vi caesus, qui saepe tuos a morte reduxit,
Qui vitam dedit aeternam ? cui melle liquenti
Dulcior effluxit sermo ? qui Regis ad aures
Quae dederas, mandata tulit ? Quae gratia facti ?
Quae pietas ? sic ne ALPHONSVM *certasse priorem*
Officio, sic ne auxilio iuuat ante leuatam ?
Hanc decuit mortem pro tali reddere vita ?

Nunc saltem, sic non omnis de pectore cessit
Sensus, & humanam retines sub corpore mentem,
Luminibus siccis ne contemplare, cruentae
Quod facinus fecere manus: miseranda, dolori
Nunc semel indulgere iuuet, veniamq; precari:
PACECCVS *dabit & pacem: non ille suorum*
Oblitus, nec cura prior, studium ve recessit.
Aspice ridentes vultus: iamq; annuit ore,
Iamq; Deum tibi conciliat, cui proximus ipse est.
Tu lacrimis ne parce pijs, & corpora lymphis
Tinge sacris, dabit haec ratio tibi sola salutem.
Sed quis RODVLPHI *quae circum nobile corpus*
Et voces lacrimaeq; sonant, quis mista querelis
Carmina commemoret? Decus hic narratur auorum,
Et genus omne Ducum. Quorum pars maxima bello,
Pars sacra nituere toga. Numeratur vtrinque
IVLIVS *ante omnes magnum ac memorabile nomen,*
Condita quo dudum tellus NOVA IVLIA *gaudet.*
Hic leto insignis, Romano ille inclytus ostro,
Germanus RODVLPHE *tuus, nec parua parentis*
Gloria, PARTHENOPE *quem pace illustris & armis,*
Has simul atque illas tractantem nauiter artes,
Praestantemq; animis, numerosa & prole beatum,
Omnibus exemplar, paucis imitabile monstrat.
Haec flentes cecinere alij, nec munera desunt
Cetera qui celebrent. Sunt qui praeclara iuuentae
Dona ferant: illi dulces extollere mores,

Hi mite

Hi mite ingenium. larga illinc copia fandi,
Illinc caeleſtis ſapientia, laudibus implet
Ora virum: hic rerum nullis quas teſtibus egit
Conſcius ipſe ſibi tantum, nunc denique fama
Auditur, fulgensq; ſuo ſe lumine prodit.
Ingenti tamen in turba magis eminet vnus
Auditurq; magis: nec longe cauſa dolendi
Quaerenda eſt homini, memori qui mente reuoluit,
Hoc auctore ſibi libertatemq; reductam,
Et caſtam thalami ſociam, natosq; receptos.
Namque domo vir Moſchus erat, quem vindicat olim
E longo Mogorum imperio, dominisq; ſuperbis
RODVLPHVS. *Vocat is patrem, auctoremq; ſalutis,*
Et gemit, & calidum ex oculis rorantibus imbrem,
Fons veluti lymphas celſa de rupe volutus,
Largiter effundit, templum dein queſtibus implet.
Quis mihi te dulcis pater abſtulit? heu mihi quis te
Abſtulit? & mihi me? nam quae mihi vita relicto?
An mihi tu vitam reddebas, vt mihi poſthac
Te ſine, vita foret? Quis ſacrum attingere corpus,
Quis potuit? potuit Salſethis laedere ferro
Chriſticolas inter populos, Goanaq; propter
Moenia, Lyſiadum ante oculos, atque ora ſuorum,
Quem neque Turcarum rabies veſana, nec illae
Indorum inſidiae, aut Mogorum, non Perſicus enſis,
Non ſtygijs accincti odijs hominesq; feraeq;
Audebant violare virum: multosq; per annos

Diſcor-

Discordes animis & relligione tyranni;
Ingenium & mores animis caelestibus aequos
Mirati, supra ire homines pietate putabant;
Caelitibusq; parem, caeli & de gente vocabant?
Nunc certe caelo frueris RODVLPHE, DEIq;
Pasceris aspectu, cuius pro nomine vitam
Ponere dulce fuit: Votorum summa tuorum
Haec erat. & memini, Mogorum cum linquimus arua,
Hic vbi testanti CHRISTVM *per tela, per ignes,*
Spes erat e terra superas euadere ad auras,
Quos premeres gemitus, quos imo corde dolores.
Scilicet ingratus vitae, tristisq; negata
Morte nimis: tandem sperati ianua leti
Iam praeclusa mihi: pro te dulcissime IESV
Non licuisse mori? Tu tecum talia solus
Dum defles, excepi audax, & corde notaui
Fixa meo: DEVS *optatae tibi praemia palmae*
Distulit, vt magis illustri certamine virtus
Nota foret, tellusq; simul dum manserit, & dum
Immotam circum caeli se verterit orbis,
Insideatq; solo, & superis caput inferat astris.
His templum maduit lacrimis, hoc pectora fletu
Infremuere diu: quem nocti protinus aequent:
Ni vetet id metuens VINCENTIVS. *omnibus ille*
Infert se medium, & longum lacrimantibus infit.
Sat lacrimis luctuq; datum: mandare sepulcro
Corpora iam superest, & terrae reddere terram.

Ilicet.